



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

Liber IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](#)

DE
EPISCOPIS
LIBER IV.

CAPUT I.

*De Vitâ & Moribus Episcopi
in genere.*

I.

Postquam Episcopi ἀναβεβήκατο, ut loquitur B. Chrysostomus, sive ascenderunt supra presbyteros, in id incubuerunt semper, ut ὑπεροχὴ illa, quam occuparunt, majora quotidiè caperet incrementa, & separatam planè à presbyteris dignitatem produceret. Eique rei multum contulerunt honores, qui Episcopis, dum vitâ & fide integri erant, habiti fuerunt à quibusvis omnibus, quandoquidem nemo tūm fuit, quidē Episcopali ordine per tām insignem sanctitatis characterem se commendante non optimè sentiret, & magnificè omnia atque humanos apices περιγνωστὶ ζωγράφοι non loqueretur. In epistolā ad Smyrnæos, quæ Ignatii nomen præ se fert, majori Episcopos honore, quam Reges afficiendos esse, verbis disertis assentitur: *Honora*, inquit, *fili DEI U M & Regem*. Ego verò dico: *Honora DEI U M*, ut omnium autorem & Dominum, Episcopum autem ut principem Sacerdotum, imaginem DEI referentem; *DEI quidem propter principatum; Christi verò propter sacerdotium*. Et post hunc honorare etiam oportet Regem. Rationem istius περιγνώσεως reddit Chrysostomus hom. 3. in cap. 6. *Esa*. Nam si vis videre, quantum ab sit Rex à Sacerdote, expende modum potestatis utrig. traditæ, & videbis Sacerdotem multo sublimius Regem sedentem: admirandus videtur thronus Regius, sed rerum terrenarum administrationem fortitus est; sacerdotis thronus in cælis collocatus de cœlestibus negotiis habet pronunciandi autoritatem. Et Ambrosius de sacerd. c. 2. Sublimitas Episcopalis nullis potest comparationibus adquirari, si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quam si plumbi metalla ad aurifulgorem compares.

a

II. No-

II. Nolo h̄c subsistere, & quousque prærogativa ea locum habere debat, prolixè discutere, cūm alibi jam ea de redixerim. Dubium tamen mihi nullum est, ὅπερ θολωμένος nonnulla dici in hoc negocio à patribus, cūm præcipue in finem, ut sanctitati morum eo magis studeant, qui isti muneri præsunt. Ut maximè verò cum reliquias sacerdotibus communia quedam habeant Episcopi, puduit tamen eos jamdudum istius nominis, nec similes proinde sacerdotes summi dici voluerunt. Inde factum porro, ut inter dignitates Ecclesiasticas, quas statuant Canonistæ, Episcopatus minime referatur, eò quod ut illi ajunt, is sit culmen dignitatum omnium. Unde & culmen Episcopatus dicitur in Concil. Sardicens. c. 13. & eminentissimæ dignitatis apex in Concilio Arvernensi cap. 2. Sic & Innocentius I. epist. 6. invehitur in Modestum quendam, hominem multis criminibus infamem, quod non Clericus solum effectus sit, sed etiam ad Episcopatus apostolicam adspiret. Atque idcirco idem Innocentius epist. 1. quæ est ad Decen-
tium Episcopum Eugubinum, hoc ipso episcopos presbyteris facit superiores, dum ait: *Presbyteri verò, licet sint sacerdotes, Pontificatus tamen apostolicum non habent.* Quæ eadem verba sua fecit Theodulfus Episcopus Aurelianensis lib. de ordine baptismi cap. 17. Eodem modo Optatus Milevitanus advers. Parmen. lib. 1. apices & principes omnium vocat Episcopos. Et Leo Papa epist. 87. ad African. cap. 1. Episcopos dicit supra omnes gradus constitui & capita vocat. Quomodo & Ignatius, si modo is ipse auctor est, epist. ad Trallianos: Quid est, inquit, Episcopus? nisi is, qui prætergressus est omne imperium & potestatem, quicq; omnibus imperat, quantum quidem homo imperare potest.

III. Tanta cūm sit sublimitas culminis Episcopalis, & tam alto in fastigio cūm illi consistant, qui muneri illi præficiuntur, intelligi nunc facile potest, quæ virtus honestate & integritate commendatos se reddere debent, tum sancti officii administratores. Requisita omnia & virtutes universas, quibus eminere illi debeant, uno verbo complexus est Apostolus Paulus I. Timoth. III, 2. dum irreprehensibiles eos esse jubet. Id vocabulum eleganter exposuit Chrysostomus homil. 10. in hanc Pauli epist. Voce irreprehensibilis, inquit, omne virtutis genus expressit. Itaq; qui sibi peccatorum quorundam conscius est, male profecto facit, eam rem appetens, quādignum se per opera facit. Et porro: Eum qui alios suscipit regendos, omniface clariorem de se parere lucem oportet, atq; hujusmodi vitam habere immaculatam, ut omnes illum respiciant, & ad ejus vitam, tanquam ad exemplar, suam forment. Eoque pertinent verba Salviani Massiliensis ex lib. 2. contra avarit. dum ait: *Quicquid de aliis omnibus dictum est, magis absq; dubio ad eos pertinet, qui exemplo esse omnibus debent, & quos utiq; tanto assistare ceteris oportet devotione, quanto antistant omnibus dignitate.* Nihil est

est enim turpius, quam excellentem esse quemlibet culmine & despicabilem vilitate. Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu, &c.

IV. Sed enim, quis poterit in pietate tam insignis & omnibus numeris perfectus esse, ut irreprehensibilis prorsus dici queat? Recte omnino Petrus Damiani l. 2. epist. 1. Hic tantæ vult esse perfectionis Episcopum, ut penè extra naturam loquatur Apostolus. Quis enim in carne constitutus tam cœtivavit, tam se sollicitè undiq; circumspiciat, ut reprehendi aliquando nequeat? Quid autem ex his ipse colligat: Vnde his qui reprehensibiliter vivunt, & locum irreprehensibiliter vivendi adhuc reprehensibilius concupiscunt. Sufficit tamen ita ἀνεπίτητος & ἀνέγυλητος Episcopum esse, ut ob integritatem vitae & morum bene audiat, nec probabili suspicione alicujus crimini laboret. Nam ut bene monet Augustinus lib. 1 cont. duas epist. Pelag. cap. 14. multi baptizati fideles sunt sine crimen, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim. Crimen enim dicit idem Augustinus in Johann. tr. 41. esse peccatum grave & accusatione dignissimum, sine quo quidem nunc satis bene vivitur, ut ait idem lib. 14. de civit. cap. 9. Peccati autem vocabulum etiam leviora vitia, quæ obrepere quandoque solent, comprehendit. Conf. Anton. Matthæus de criminib. in prolegom. cap. 1. Et ab his nemo immunis & omnino purus esse potest Episcopus.

V. Oportet ergo ut ii, qui populum Christianum suscipiant pascendum, sancti sint, & docti, ut & exemplo suo eum instruant, & prædicatione. Idque optimè exprimit Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus epist. 105. ad Cudberthum Archiepiscopum Cantuariensem his verbis: Nam Apostolus Episcopum, Prophetam speculatorum, Salvator mundi pastorem Ecclesia, Sacerdotem appellat; & omnes tacentem peccata populi doctorem, sanguinis animarum perditarum suo silentio reum esse comprobant. Propter hoc horribilis & maxima necessitas cogit, ut juxta dictum Apostoli nos formam debeamus exhibere fidelibus, b. e. nisi me fallat opinio, ita justè vivendum Doctori, ne dicta sua repugnantibus factis evanescet, & ne cum sibi de proprio caute vivat, tacens alieno damnetur peccato. Quia ad hoc est Ecclesia DEI præpositus, ut non solum bene vivendo alios exemplo instituat, sed etiam fiducialiter predicando singulis ante oculos peccata sua constituat, & qua pena habeat duros & qua gloria obedientes, ostendat, &c.

VI. Feliciter id cessit Ecclesiæ eo tempore, quo ab omnibus ordinibus, ut quisque innocentia ac dignitate inter eos excelleret, justis suffragiis Episcopilegebantur. Ita deinceps bonis quisque artibus nitiebatur, ade-

ptique honorem etiam munus implere, ac præstare suum studebant. Potquam vero methodus ista & ratio eligendi in desuetudinem abiit, varia mox irreplerunt corruptelæ, ita ut hodiè aliquando bello exercitis veluti militare præmium Episcopatus detur, sæpe gratiofis aut potentibus, interdum & fœminis adulantes Episcopi fieri mereantur, quibus nullum doctrinæ nullum pietatis studium, nulla aut scientia, aut usus earum rerum, quarum causâ munus istud institutum fuit. Quæque nata inde fuerunt Ecclesiæ damna, etiam in Rempublicam deinceps redundarunt, Regnaque integra vastata quandoque civilibus bellis, & quædam etiam everta, ac prope funditus excisa fuerunt. Sic enim contigit plerumque, ut Episcopis officii sui aut ignaris, aut negligenter continuo & populorū mores prolaberentur, & laxaretur Ecclesiastica disciplina, & religionis cultus, quo status Rerump. continetur, omnis disolveretur, convelleretur, destrueretur.

VII. Quia autem non inter Laicos tantum, sed etiam in Ordine Ecclesiastico, & in hoc quidem, majore cum scandalô, vitia facile adolefcunt, dum mutuo affrictu suas quisque fortes alteri allinit, & privatæ libidinis licentiam atque impunitatem quisque per alterius indulgentiam conlectitur, tenentur Episcopi suos ita componere mores, ut & ipsi sanctè vivant, & perditè viventes arguere sine labore queant. Præterquam enim, quod reatum majore delinquat, uti ait Hilarus in Concilio Romano cap. 1. qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum, etiam ex eo augeri solet malum inde proveniens, quod ad ejus, qui digniore loco est, exemplum, ab aliis inferioribus committantur eadem mox delicta. Quod enim exemplo fit, etiam jure fieri putant, ut ait Cicero lib. 4. epist. 3. Et sic etiam nulli illicitum esse videtur, quod ab Episcopo quasi licet perpetratur; sed ipsum magis credunt homines esse laudabile, quicquid Episcopus habuerit delectabile; nec quisquam quod agere Pontifex non dubitat, se indubitanter agere dicat, uti loquitur alicibi Ambrosius. Sic etiam Gregorius Nazianzenus epist. 22. Lucerna Ecclesiæ est Episcopus: per ejus mores puros vel impuros bellè habet aut laborat corpus Ecclesiæ, cui præpositus est.

lxx. Autor operis imperfecti in Matthæum, quod Chrysostomo vulgo adscribitur, homil. 38. sacerdotes stomacho comparat, populum membris reliquis, mox hanc addit $\pi\varrho\sigma\phi\omega\eta\sigma\tau\iota\tau$: Videte ergo Sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo & opere: quoniam sicut in corpore, si aliquid fuerit infirmum membrum, non omnino languet & stomachus; si autem stomachus langueret, omnia membra inveniuntur infirma: Sic si aliquis Christianorum peccaverit, non omnino peccant & Sacerdotes; si autem Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccatum. Et recte proinde Heliodorum Epilcopum Altinensem admonet Hieronymus in epist. In te omnium oculi dirigun-

riguntur: domus tua & conservatio tua, quasi in specula constituta, magistra est publica disciplina: quicquid feceris, id sibi omnes faciendum putant: cave ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, dignè lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere. Eoque pertinet additio ad Capitulare Theodulsi Episcopi Aurelianensis, quā suos admonet coēpiscopos, in doctrinā pariter & vitā, ut sanctitatem colant, suisque plebibus exemplo sint, nesi alterutrum deficiat, destruant id, quod aedificare debuerunt. Nam, ut ait Arnulphus Episcopus Lexoviensis *in sermone habito in Concilio Turenensi*: Sanctitas conversationis inquiritur: quia nisi fuerit prædicatoris commendabilis vita, non erit ejus prædicatio grata. Cujus enim vita contemnitur, restat ut & prædicatio contemnatur.

IX. Facit hæc professio puræ & inculpatæ vitæ, ut Episcopi se invicem SANCTITATIS titulo compellarent. Frequentissimè id nomen occurrit in canonibus Ecclesiæ Africanæ. E. g. in Concilio Carthaginensi anno cccciiii. ubi Aurelius Episcopus dixit: Exigente ratione fraternitas vestra à me tenuitate ad hoc Concilium congregata est: jamdudum enim, sicut vestra sanctitas recordatur, habito concilio destinatus fratres nostros ad transmarinæ legatos, quos oportuit in cœtu sanctitatis vestra perfuncta legationis cursum narrare &c. Et paulo post: Alypius episcopus Ecclesia Thagastensis dixit: Nos quidem de Numidiâ venimus, ego & sancti fratres Augustinus & Posidius. — Nam etiam tractoriam sanctitatis tua cum ad sanctum senem Xantippum deferrem. &c. Et in simili concilio anno cccvii. congregato Maurentius Episcopus dixit: Judices peto sanctum senem Xantippum, sanctum Augustinum &c. sicuti hæc leguntur can. 90. & can. 100. in Cod. can. Eccles. African. At qui sanctitatis hujus, quam nomine proficitur, parum memor in vitia prolabitur, suumque ad quævis flagitia suum prostituit officium, de illo verè dixit Gregorius M. lib. 1. de curâ pastor. c. 2. Nemo amplius in Ecclesiâ nocet, quam qui perversè agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet: Delinquentem ergo hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.

X. Qualis autem debeat esse vita Episcopi, quibusve eum moribus præditum esse oporteat, omnium optimè & quasi in compendio explicat Apostolus Paulus 1. Tim. III, 2. seq. Oportet, inquit, Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris Virum, sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem, Doctorem, non violentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed sua domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui sua præesse necit, quomodo Ecclesia DEI diligenteriam habebit? Non neophytum ne in superbiam elatus in iudicium inviat diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris

foris sunt, ut non in opprobrium incidas, & in laqueum diaboli. Et in epist. ad Tit. l. 7. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut D E I dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem: amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit, & exhortari in doctrinâ sanâ, & eos qui contradicunt arguere. In his præceptis tota continetur Ethica pastoralis, quæ tam necessaria est Episcopo, ut sine ejus cognitione, & virtutum istarum exercitio, ne nomen quidem Episcopi sustinere is queat.

XI. Quotusquisque verò est hodiè inter Episcopos, qui virtutibus istis simul omnibus ornatum se gloriamque queat? Imò verò, si vel maximè ab initio, dum officium istud capeffit, in quibusdam excellat aliquis, vix tamen temperare sibi poterit deinceps, quo minus in diversa trahatur, dum tot ubique circumfula intuetur deliciarum semina, quibus Episcopatus hodiè plerumque abundant. Observavit id Joannes Molinæus Decretorum in Academiâ Lovaniensi Professor, dum in epist. dedicatoriâ, quam Iovis Carnotensis operibus præmisit, hoc suum interponit judicium: *Fingamus jam Episcopatus Candidatum ad unguem factum, sit honestis, piis sanctisq. moribus, sit insigni rerum divinarum humanarumq. præditus eruditio, sit maturâ astate, sit civibus aliusq. omnibus Reip. ordinibus cum primis gratus & acceptus, sit deniq. omnibus numeris absolutus, & ad Paulinam ideam planè fabrefactus, (cujusmodi in hac bonorum Virorum orbiitate, morumq. dissolutione aut nulli sunt: aut si quis sint, vix perquiruntur,) si igitur, ubi jam omnia in suâ voluntate, ne dicam libidine, posita esse perspicerit, ubi nemini unquam rationem, quicquid gesserit, vel non gesserit, reddendam esse scierit, ubi deniq. solus se à vobis & ceteris eamq. perpetuam consecutum esse animadvertebit, qui poterit quæso in hac humanâ naturâ fragilitate, instantâ vita voluptatumq. omnium licentia & impunitate, assentatorum ad hac grege perpetuo dissipatus, qui poterit, inquam, non insolescere, moderationisq. prioris non protinus obliuisci? Hæc sane aliaq. complura sunt, qua de Ecclesiâ formandâ nos sperare nequaquam finiunt, quin magis ruinam & exitium impendere, (utinam sim falsus vates) portendunt. Quæ omnia quisquis per Synodum Oecumenicam, cuius ipsius nec dum satis certa signa sunt, curata ac emendata iri confidit, præterquam quod miserè fallitur, etiam antiquitatis Ecclesiastice ignorantem turpissime meo quidem judicio prodit.* Scriptis è Molinæus anno Christi MDL XI. quo tempore Tridenti adhuc congregatum fuit Concilium, de cuius reformatione non adeò benè ominatos fuisse Lovanienenses, ex adductis verbis colligere licet.

XII. Ipse Ivo epist. 238. cùm Tornacenes Clerici proprium habere vel-

reverent Episcopum, postquam per annos ferè quadringentos subjecti fuissent Episcopo Noviomensi, ne id fieret, apud Paschalem Pontificem Romanum intercessit, inter alia hoc usus argumento, quod metuendum eset, ne post divisionem non sufficerent utriusque Episcopo facultates Ecclesiarum, cum dignitas Episcopalis, quæ sunt ejus verba, paupertatem his diebus honeste ferre non valeat. Sed & dolet Fulbertus Episcopus Carnotensis, cogi le antecessorum exemplo domesticis suis largiorem præbere cibum, quam ipse exhibendum putaverit. Sed tamen, inquit, illud egrius tolerabam, quod res Ecclesie in superflorum domesticorum victualia sic expendere compellebar ex prævâ consuetudine prædecessorum meorum, ut officium hospitalitatis & elemosyna, sicut mea interest, administrare non possem. epist. 90. Adeò fit lèpè, ut qui dum privatim agunt, morum innocentia celebres existant, postea ubi ad aliquod officium applicantur, quicquid sanctitatis habuerunt, sensim amittant, omnemque pietatis cultum excutiant, & de currentium more fluminum ad ima devolvantur, pristinæ integritatis & simplicitatis generosissimæ parum memores, & in id semper propensi, quo animi libido & intemperantia rapit.

XIII. Cùm verò Episcopus Dei dispensator sive Oeconomus dicatur Tit. I, 7. meminisse debet vocationis suæ, & quod à Deo ipso familiæ divinæ, quæ in Ecclesia colligitur, præfectus sit. Debet igitur quam maximè sanctitati studere, cùm propter summam majestatem & absolutissimam sanctitatem heri, quem non decet nisi probos ministros habere, tūm propter excellenissimam dignitatem rerum, quæ tractandæ & dispensandæ committuntur, mysteriorum scil. & sacramentorum divinorum. Sanctitas autem illa universas complectitur virtutes, ita ut si in unâ quis deficiat, verè sanctus dici nequeat. Et ut maximè nemo immunis esse & dici possit in hâc vitâ à peccato, studere tamen debet, ut irreprehensibilis & sub eâ specie sanctus existat. Non malè enim ita distinguit autor quæstionum ad Orthodoxos apud Justinum Mârtyrem quæst. 141. aliud esse irreprehensibilem, aliud peccato immunem. Immunem peccato prorlus quoq; esse irreprehensibilem; irreprehensibilem autem prorsus peccato immunem non esse. Nam qui contra legem peccatum committit, cui gratia fieri queat per oblationem victimarum, & delicti confessionem nox & remissione accepta parum reddi ac irreprehensibilem, sed solum Christum, qui legem nunquam violavit, immunem fuisse à peccato. Et in hâc significatione etiam accipiendo est, quando jubemur esse perfecti in sacro codice. Perfecti, inquit Guil. Estius in 1. Job. II, 5. juxta modum perfectionis, quam viatores asequi possumus. Et ad hanc perfectionem quivis aspirare debet Episcopus Kara mērōv dōpeās Εχεις. Ut vero planius constet, quæ Episcoporum, debeant esse qualitates, enumerabimus deinceps in specie nonnullas prolixius,

Ixiūs, Pauli Apostoli ductum potissimum lecuti, ita tamen, ut quantum hodie mutati sint mores, subinde adjiciamus.

CAPUT II.

In pietate quotidianum sit Episcopi exercitium.

I.

Ta namque Timotheum suum instruit Paulus I. epist. cap. IV, 7.
γέμυντε δὲ σεαυτοὶ τῷ πόσῳ ἐυτέλειᾳ. Comprehendit enim ἐυτέλεια τὸν verum veri DEI cultum, & hunc quidem potissimum, tunc etiam condescensionem & inclinationem ad proximum. Cumque Episcopi hoc præcipuum sit officium, ut auditores suos ad pietatem instruat, vult Apostolus, ut Timotheus Episcopus ipse prior in gymnasio pietatis se exerceat. Pietatem ergo tam in Deum quam homines ad Episcopum pertinet non colere tantum & addiscere, sed etiam exercere & ei perpetuo insistere. Exercitum enim tale promptitudinem dicit perpetuo usu comparatam, quia exercitatus facilius atque cum delectatione aliquā sine molestia operatur. Quapropter ita adsciscere debet pietati Episcopus, ut ad omnem lucidam spiritualem, qualisunque & quantacunque aliquando contigerit, paratus esse queat.

II. Potissima vero hujus ἐυτέλεια pars est verus DEI cultus & sincerus in eum affectus, quem Paulus Tit. I, 8. per vocabulum ὅστος exprimit. Plus enim videtur continere ἐυτέλεια quam vocabulum ὅστος, ita ut Scriptores Græci distinguant interdum ὅστον & δίκαιον, per illud vocabulum pietatem erga Deum, per hoc effectum erga proximum denotantes. Theophylactus ad Tit. I, 8. Justum: *in iis, quae ad hominem spectant, hoc est, absg. personarum respectu; sanctum: b. c. pium in rebus divinis, nihil eorum, quae ad DEUM pertinent, omittentem.* Est ergo ὅστος pars & quidem præcipua ἐυτέλεια, τῇ δίκαιοσύνῃ autem ita conjuncta, ut separari nunquam possint, sed unum compositum, quod ἐυτέλεια nomine venit, constituant. Si quis ergo Deum coluerit sincero corde, non potest non is etiam amore proximi flagrare, & in utroque hoc affectu indefinenter se exercere.

Etsi vero pietas haec ab omnibus & singulis Christi fidelibus requiratur, nec possit quisquam Christiani nomen sustinere; nisi Deum devotè colat, & proximum ardenter amet, eminentior tamen utriusq; affectus exigitur gradus in Episcopo & ordine Clericali, quam in reliquo populo, & si aequaliter utriusque debeat esse studium. Tantum, inquit Gregorius in libr. pastorali l. 2. c. 1. *debet actionem populi actio transcendere præstitalis, quantum distare solet à grege vita pastorum.* Oportet namq; ut metiri se sollicitè studeat,

deat, quanta tenenda reëstitudinis necessitate constringitur, sub cuius astimione populus rex vocatur. Et ante eum Hieronymus, quem refert Gratianus c. unum dist. 25. Res contra naturam penè est, ut sine peccato aliquis sit: sed talis eligatur, cuius comparatione ceteri rex dicantur. Hinc adeò in quamplurimis Conciliis jussi fuerunt Episcopi & doctrinâ & moribus leinet ita exhibere populo, ut quotidiè nova incrementa capere queat Ecclesia Christi. Concilium Cabilonense II. can. 1. Episcopi assidui sint in lectio, & scrutentur mysteria verborum DEI, quibus in Ecclesia doctrina fulzore splendeant, & verborum DEI alimentis animas sibi subditas satiare non cessent, &c. Et can. 2. Ultea, quæ legendo perscrutantur, opere compleant, — & sint subditi norma vivendi, ita videlicet, ut & verbis & exemplis populo ad aeternam patriam pergenti ducatum præbeant: ut vita eorum & doctrina nequaquam discordent, sed que dicunt, faciant, & qua faciunt, docere studeant. Et prædicatione assidua plebem admoneant, & salce iustitiae à credentium mentibus vitorum spinas eradicent, & verbi DEI semine agros mentis eorum ad fæcunditatem perducant.

IV. Eum in finem statutum fuit in Concilio Carthaginensi IV. can. 20. Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectio, & orationi, & verbo prædicationis tantummodo vacet. Eleganter Hieronymus apud Gratian. c. si quis dist. 36. Si quis vult pontifex esse, non tam vocabulo quam merito imitetur Moses, imitetur Aaron: quid enim dicitur de eis? quod non descendat de tabernaculo Domini. Erat ergo Moses inde sinenter in tabernaculo Domini. Quid autem ei opus erat? ut aut à DEO aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hac duo sunt Pontificis opera, ut aut à DEO discat legendis Scripturas divinas & septius meditando: aut populum doceat, sed illa doceat, quæ à DEO ipso didicerit, non ex proprio corde vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet. Est & aliud opus, quod fecit Moses, ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos; sed quid facit? orat, & donec orat, vincit populus ejus. Si relaxaverit & demiserit manus, populus ejus vincitur, & fugatur. Oret ergo Sacerdos Ecclesia inde sinenter, ut vincat populus, qui sub ipso est, hostes invisibilis Amalechitas, qui sunt demones impugnantes eos, qui volunt pie vivere in Christo.

V. In constitutionibus Apostolicis Clementis Romani nomen præ se fermentibus, imò mentientibus, ut alibi dixi, plurimis encomiis Episcopale officium exornatur. In primis vero hoc pertinent ea, quæ lib. 2. cap. 26. leguntur: Qui Episcopus est, hic est minister verbi, scientia custos, mediator DEI & vestrum in iis, quæ ad eum colendum pertinent: hic est magister pietatis, ac religionis: hic est secundum DEUM pater vester, qui vos per aquam & spiritum sanctum in adoptionem regeneravit: hic princeps & dux vester: hic vester Rex & praefectus: hic post DEUM terrenus deus, qui honore vestro frui debet, &c. Praeclarasunt, si non nimia, quæ ita de Episcopo prædicantur.

In Concilio ad Piftas cap. 4. in fin, dicuntur Episcopi *propitiatores & reconciliatores populi.* Ab aliis os populi vocantur, quod fidelium sibi creditorum nomine in coetu publico preces fundant, populus corde assentiat, & assensum per vocalam amen testetur. At si mediatores sunt, si propitatores & reconciliatores, si os populi plurimum interest, an etus an sceleratus sit, per quem preces Deo transmittimus. Quis enim Regi supplicatus desideria sua ei, cui Rex intensior est, explicanda concredere velit. Cemis, ait Gregorius M. qui dispergit, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.

VI. In doctrinâ pariter & moribus excellere debere Episcopum dixi supra. Et quid enim foedius est ac turpius, quam eum, qui alias vitæ sanctitatem docet, docere certè debet, doctrinæ suæ contrariam planè agere vitam, sibi que ipsi veluti in os contradicere? Plus sanè ædificat Ecclesiam suam Episcopus exemplo, quam doctrinâ, plus vitâ, quam scientiâ. Idque observavit in Johanne Chrysolomoto Sozomenus lib. 8. cap. 2. quem proinde ut exemplum proponit, & quæ ex ejus sanctitate emolumenta in Ecclesiæ provenient, dum secum perpendit, in genere hanc statuit regulam, maximè conducere ad veram religionem propagandam, pietatem & mores doctrinæ conformes. Multos, inquit, qui in Ecclesiâ ipsum audiebant, ad virtutis studium impulit, & in doctrinâ fidei, ut idem cum ipso sentirent, effecit. Nam cum vitam ageret planè divinam, ad emulationem virtutis suæ auditorum animos excitabat. Post hac verò facile eos adducebat, ut eandem secum sententiam amplecterentur, quippe qui non arte quâdam, aut eloquentia vi illud ageret; sed sincere tanquam veritatis studiosus sacras scripturas exponeret. Etenim oratio, quæ operibus exornatur, meritò fide digna videtur. Si verò operibus destituta sit, oratorem impostorem esse arguit, ac suorum ipsius dictorum reprobensem, tametsi is in docendo magna sit diligentia. Porrò Johannes utraq. laude ex aquo floruit. Nam ejus quidem vivendi ratio ac conversatio gravis fuit ac severa: dictio verò perficua simul ac splendida, &c. Ad eundem modum Alexandrum Episcopum Antiochenum commendat Theodoritus lib. 5. cap. 35. Antiochenem verò Ecclesiæ regebat Alexander, adjutricem habens sacerdotii conversationem. Nam cum ante Episcopatum vixisset in monasterio & diutissimè illic se exercuisse, egregius athleta evasit, sermone auditores docens, & sermonem vitâ confirmans.

VII. Imò vero vita eorum, qui veram cultûs divini rationem profitentur, sæpè norma & cynosura est, ex quâ de veritate religionis judicare solent plebeji, quæque adeò in fide conservare solet minus intelligentes. Hac enim ratione, cum Ariana hereticis in Oriente latius se diffunderet, Egypci admittere eam noluerunt, quod viderent monachos suos ei nullam fidem

dem habere, & in pietatis exercitio excellere. Eorum sententiam, inquit Sozomenus lib. 4. cap. 10. sequebatur populi multitudo, & eorum testimonis adhibebat, cō quod virtutem excolarent, & philosophicum vivendi genus se-
darentur. Et clarius lib. 6. cap. 20. Multi enim tunc temporis admirabiles viri regionum illarum monasteriorū praeerant, omnesq; pariter opinionem Ariū
aversabantur. Quorum testimonio adhärens multitudo vulgi eandem cum illis doctrinam fidet profitebatur: quippe qua de dogmatibus disputare ac
garrire neq; velle, neq; nosset: penes illos autem veritatem esse crederet, qui
virtutem factū ipsas prefererentur.

lIX. Hæc eadem causa fuit, quod Eunomii & Apollinaris hæreses ex eorum
voto in quibusdam provinciis incrementa capere non poterant, quod re-
luctaretur populus, videns monachos suos sanctitate valde conspicuos eas
non recipere, sed detestari potius, eisque adversari. Adjiciam hâc de re
eiusdem Sozomeni verba ex lib. 6. cap. 27. Cæterum, inquit, quod dogmata
ista non prevaluerint, nec ad multos permanarint, præter eas causas, quas si-
pra dixi, Monachis potissimum, ut arbitror, adscribendum est. Nam quot-
quot in Syria & Cappadocia & circumfisis provinciis monasticam philosophi-
am sectabantur, Nicana Synodi decretis mordicus adhærebat. Parum cer-
te absunt, quin Orientis omnes provincia à Ciliciâ usq; ad Phœnicen Apollina-
ris hæresim amplectentur. Eunomii autem hæresis à Ciliciâ & monte Tauro
ad Hellespontum usq; & Constantinopolin cuncta propemodum occupavit.
Ut ergo enim tūcos apud quos morabantur, tūc eorum finitos, in suam sen-
tentiam facile perduxerunt. Idem porrò istis accidit, quod antea Arianis ac-
ciderat. Populus enim in illis regionibus, cū Monachos, quos supra diximus,
ob virtutem atq; opera valde admiraretur, rectè illos sentire existimabat:
eos vero qui aliter sentirent, tanquam adulterinis opinionibus inquinatos,
aversabantur. Quemadmodum olim Ægyptii Monachorum suorum doctri-
nam secuti, Ariani fortiter restiterunt.

IX. Si Monachi, quibus docendi munus non competebat præcisè, solâ vitæ
rectitudine & integritate, populum sibi in religione consentientem facere
poterant, quid sperari potuit ab Episcopis, quos docere oportebat, & fidei
capita salubriter exponentibus, & vitam conformem agentibus? De
Chrysostomo jam supra dixi, quantum per eum Ecclesia Constantinopoli-
tana profecerit, postquam is ibi docendi munus adeptus fuisset. Ante eum
simili modo Gregorius Nazianzenus, cū ad Ecclesiam eam regendam
vocatus esset, brevi temporis spacio, quod ibi exegit, multos ex diversis se-
ctis & hæretibus ad Orthodoxam religionem non solum doctrinā, sed præ-
cipue vitâ suâ convertit. Etenim ibi brevitempore, ait Ruffinus lib. 2. cap. 9.
tantum ad emendandum populum veteris hereticorum infectum venenis
proscicit, ut tunc primum Christianis fieri viderentur, & novellam lucem
veri-

veritatis adspicere, cùm Religionis Doctor multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis, nec viderent ab eo discipulis aliquid imperari, quod non prius ipse fecisset.

X. Hos progressus in religione orthodoxâ cùm viderent hæretici, ipsi quoque, ut veneno inficerent imprudentes, eandem vivendi ratione lecuti fuerunt, De Macedonianis id testatur idem Sozomenus lib. 4. cap. 27. haud exigui partem populi eis adhaesisse: Nam, inquit, vivendi ratio, quam vulgus potissimum peccare solet, haudquam in illis culpanda erat. Etenim incessus quidem eorum gravis: disciplina vero Monastica similis fuit. Didicerat id etiam Julianus Imp. ex Christianorum Antictitum vitâ & moribus religionem eorum potissima capere incrementa, atque idcirco dolet, culpâ Sacerdotum Ethnicorum fieri, quod Ethnicismus non ita crescat, ut ille quidem optabat & sperabat, & specialem proinde scripsit Epistolam ad Ariacium Sacerdotem Galatiae, quam recenset Sozomenus lib. 5. cap. 16. in qua jubet Sacerdotes Ethnicos, ut pietatem Christianorum in conversatione externâ imitentur. Religio, inquit, gentilium nondum ex animi nostris intentiâ vigeat, culpa eorum, qui illum profitentur. — Nec attendimus, quid Christianorum religionem potissimum auxerit, humanitas scilicet in peregrinos, & in sepeliendis mortuis sollicita diligentia, & simulata morum gravitas. Quorum singula verè à nobis exercenda esse existimo. In sequentibus describit virtutes, quas imitari debeant, idololatræ sui sacerdotes quos à Christianis superari turpe esse dicit.

XI. Ut summatis dicam, quæ & quanta debeat esse pietas Episcopi, non pigebit adscribere verba Prospere Aquitani ex lib. 2. cap. 2. de vit. contemp. quæ hæc sunt: Ipsis enim propriè animarum curandarum solicitude commissa est, qui pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes pro peccatis omnium, velut pro sis, infatigabiliter supplicant D E O: ac velut quidam Aaron, incensum contriti cordis, & humiliati spiritus offerentes, quo placatur D E U S, avertunt iram futura animadversionis à populo, qui per D E I gratiam sunt divine voluntatis indices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores fidelis populi duces, veritatis assertores, prava doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & male sibi conscius etiam ipso visu terribiles, vindices oppressorum, patres in fide Catholicâ regeneratorum, predicatorum celestium primorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt Ecclesia decus, in quibus amplius fulget Ecclesia, ipsi columnæ firmissime, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipsi januae civitatis aeternæ per quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Christum. Ipsi sanatores, quibus claves dant & sunt regni cœlorum. Ipsi etiam dispensatores regia domus, quorum arbitrio in aula Regis aeterni dividuntur gradus & officia singularum. His sunt, qui non ambiendo, sed spiritualiter vivendo sacerdotium

tiūmeruerunt : quig, non favoris humani suffragio, sed divino munere sublimati, nihil sibi de præstantiâ sui principatus applaudunt. Quos non inflat honor acceptus, sed exerceat labor impositus, quia non excellentiam suam cogitant pro vec̄ti, sed sarcinam : nec gloriantur de officiis dignitate, sed sudant potius constituti sub onere. Tales scriptura divina speculatores appellat, qui peculantur actus omnium, & qualiter unusquisq; cum suis in domo, qualiter incivitate cum cibis vivat, intentione religiosa curiositatis explorant, &c.

C A P. III.

De curā animarum Episcopis commissa.

I.

Paulus Apostolus alloquens presbyteros Ephesinos, *Attendite, inquit,* vobis ex universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere (*ποικιλαντία, paſcere*) Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo. *Ad. XX, 28.* Paſcere est gregi attendere, præire & præſeffe in Domino, pabulum, quo ad salutem æternam nutrientur, apponendo. Quale pabulum est, verbi prædicatio, sacramentorum administratio, precatio, quibus fides Christiana inchoatur, exerceatur, obſignatur & conservatur. Eoque pertinet etiam disciplina, ut in paſciuis maneant oves, nec evagentur, aut à grege longius diſcedant. Debet igitur secundum Paulimonitum Episcopus credenda proponere & explicare, sacramentis ea obſignare, à viâ perditionis coriuptorumque morum, monitis, consiliis, interminationibus & censuris revocare, atque in viam salutis reducere, quod infirmum est consolidare, quod ægrotum sanare, quod confractum alligare, quod errans reducere, quod periit, quærere. *Ezech. XXXIV, 4.*

II. Attendant Episcopus lectioni, exhortationi, doctrinæ, in quibus confitit pabulum ovibus suis præſtandum : exhortetur in doctrinâ sanâ, contradicentes & ovile suum vastantes arguat & reprehendat : sit ejus sermo ſale conditus, nec omnino dulcis nec auſterus, ſed ex utroque conſtant, pro re natâ tamen lenior aut acerbior, aceto ſeveritatis mordeat, oleo misericordiae toveat, virgâ percutiat, baculo ſuſtentet, latratu canum & pedo paſtorali lupos ab ovili abigat, peccantem privatim primū, & prout exigit qualitas culpæ publicè coram omnibus arguat, in reper, obſcret, inſtitit opportunè in omni patientiâ, & cum regimine. Rurſum ne objurgatus peccator abundantiori triftiâ abhorbeat, confirmet in illo charitatem, conſoletur puſillanimem : accensâ verbi divini lucernâ drachmam perditam quærat, donec inveniat : centesimam ovem in deserto reperiat humeris impositam domum reportet : pœnitentem filium oſculo, ſtolâ,

annu-

b 3

annulo, epuloq; excipiat, & faciat omneid, quod bonum pastorem decet,

III. In hoc scilicet consitit officium pastoris & Episcopi, quo defungitur etiam tûm, cùm undique imminent pericula, & fastidia fese exferunt penè infinita. Ivo Episcopus Carnotensis epist. 4. hoc optimè describit, dum ait : *Quoniam summus pastor pastoris nomen habere nos voluit, & officium pastorale exercere præcepit, errabundis & languidis ovibus congram medicinam providere nos convenit: ut nec importuna instantia aliquam præfocemus, nec blandiente nobis desidiâ nostrâ negligenter aliquam perire permittamus: ne ociun nostrum negotiis secularibus præponamus, quo minus parturienti Ecclesie debitum ministerium persolvamus.* Et post pauca, dum Salvatoris nostri cruciatus & mortis supplicium in exemplum duxit, his verbis pergit : *Quid? Quid hoc factò summus pastor nobis insinuat, nisiut nos dicti pastores oves erroneas ad custodiam nostram perientes per devia quaq; & alpera fugientes indeficienti caritate consecutemur, ut ad gregem reportentur, licet in sequendo vepribus consindamur, crebris spinarum aculeis cruentemur, &c.*

IV. Hæc est ista animarum cura, de quâ dixit autor epistolæ ad Hebr. XIII, 17. Obedite præpositis vestris & subjacete eis, ipsi enim per vigilant, quas irationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & nongementes. Ἀγαπατοῦσιν, ait, est autem ἀγαπωνεῖν, noctes insomnes agere. Sic Paulus frequentem se ait εἰ ἀγαπωνίας 2. Cor. VI, 5. quæ nihil aliud sunt, quam pernox illa sollicitudo, quâ Evangelio propagando totus incubuit. Hunc imitari debent Episcopi, quos propterea admonet Theophylactus in epist. ad Hebr. d. l. Audiant hac præpositi, quod perinde ut populum morigerum esse convenient, sic sacerdotem esse excubitorem pro populo, ut quis sit rationem pro eorum peccatis redditurus. Et Chrysostomus homil. 3. de sacerdot. Vigilantem oportet esse sacerdotem, eundemq; per spicatamq; innumeros quoquò versus circumferre oculos, ut pote non sibi soli, sed tante viventem multitudini. Hanc vigilantiam, & sollicitudinem ipsum Episcopi nomen innuit. Nam οὐαδ̄, inquit Johannes Zonaras ad can. Apostol. 58. id est, custos nominatus est. Custodem vero vigilare oportet, non autem otio indulgere. Cathedra propterea constituitur Episcopis in edito & sublimi templi loco, quæ quidem res denotat, qualem eum esse, & quod ab illâ sublimitate subditum populum respicere valdeque diligenter observare debet.

V. Et hæc cura ipsius Episcopi animam ita afficit atq; obligatam tenet, ut in ejus poenam omnis redundet negligentia, & æternâ morte puniatur, qui incuriosus in eo officio fuerit. *Et tu fili hominis, inquit Deus Ezech. XXXIII, 7. speculatorēm (οὐονδ̄ reddiderunt LXX.) dedi te domui Israëli: audi-*

audiens ergo ex ore meo sermonem, annuncias eis ex me. Si me dicente ad impium, impie morte morieris, non fueris locutus, & se custodiat impius a via sua: ipse impius in iniuitate suâ morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiream. Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniuitate suâ morietur, porrò tu animam tuam liberasti. Damnandi ergo Episcopi propter populorum iniuitates, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguunt. Enucleatè Chrysostomus lib. 2. de sacerdot. Quam multa, inquit, supplicias sacerdotes manent & Episcopos, cum ex eis unusquisq; non solum rationem redditurus sit suorum delictorum, sed eorum etiam omnium, qua alii comiserunt. Et Prosper. de vit. contempl. lib. 1. cap. 21. Ille, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, si tamen perditè viventes arguere aut erubescit aut metuit, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit, non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato. In eandem lententiam scripsit Nicolaus de Clemangis Archidiaconus Bajocensi. epist. 75. Non modò mirum mihi videtur, sed planè monstrifimillimum, illos qui sunt in speculâ ad infidias & pericula seculi hominibus sacri eloquii ignaris nuncianda constituti ad tanti terrorum tonitruî, non expavescere in tantaq; exuberantia vitiorum, quantam nulli puto seculo visam esse, obmutescere, cum suoq; tanto periculo alios perire sinere, quorum sanguinem suâ de manu, propter suam pernitiofissimam taciturnitatem requirendum esse audiunt.

Vl. Ceterum quâm impeditum sit hoc munus Episcopi, & quâm moderatè atq; prudenter, propter perlonarum, quibus impertiri debet, discrimen, peragendum sit, generalibus præceptis explicari vix potest. Acri & limato judicio hic opus est, ne promiscuè cum omnibus eodè modo agatur, cum nec recipient omnes eandem disciplinâ, nec uno modo tractari velint omnes. Paulus Apostolus Rom. I, 14. debitorem se factum omnibus scribit. Id attendens Erasmus lib. 1. Ecclesiast. pag. 687. applicat ad munus Ecclesiasticum. Est enim (Episcopus) sapientibus & insipientibus debitor, immo pueris & puellis juvenibus & iuvenculis, Viris & matronis, senibus & aniculis, magistratibus & negotiatoribus, nautis & calceariis, militibus & agricultoris, postremo lenonibus ac prostibulis, immo ac summis debitor est. Qui pauper est ovium, unum modo genus animalis curat, cuius ingenium nosse non ita difficile est. Babulcus facile disicit armentis sui ingenium, quemadmodum & subulcus & opilio. Qui curant Elephantos, non magno negocio distunt unius animalis naturam. Sed in hoc grege tot sunt animalium species, tot mixturae utris Africa gignat plures. Omnia autem naturam comprehendere, & cuiz, quod est accommodum, adhibere, non mediocris est ingenii, praesertim cum nullum sit animal homine vafrius ac versatilius.

VII. At vero, quis est hodie inter Episcopos, qui talem propterores suas

suas gerat curam? quis est, qui verbo & sacramentis pascat gregem suum? quis est, qui ēπιονται verē, h. e. prospiciat & quasi invigilet? prospiciat, ut pastores gregi, quod illis noctu interdiuque faciendum est, ubi lupi immanesque seræ grastantur: invigilet, ut speculatores in Urbe, ubi metuenda sunt pericula. Quis est, qui non aliis potius invigilet negotiis, quam curæ huic pastorali? *Ad exteriora negocia delapsi sumus*, inquit Gregorius M. in pastoral. p. 2 c. 2. & aliud ex honore suscipimus, atq; aliud officio actionis exhibemus: ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, ut video Episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus. Et relinquunt namq; DE U M hi, qui nobis commissi sunt, & tacemus: in pravis actibus jacent, & correptionis manum non tendimus: quotidiū per multas nequitas pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quomodo nos vitam corrigere valeamus alienā, qui negligimus nostram? Caris enim secularibus intenti tanto insensibiles intus efficimur, quanto ad ea, qua foris sunt studiosiores videmur. *Uſu quippe cura terrena à cœlesti desiderio obdurescit animus*, & dum suo uſu ipſo durus efficitur per actionem seculi, ad ea emolliri non valet, qua pertinent ad charitatem DEI, &c.

IX. Similem querelam movet Bernardus in Psalm. XC. sermon. 6. Ecclesiasticæ, inquit, dignitatis officia in turpem quastum & tenebrarum negotium transferunt, nec in his salus animarum, sed luxus queritur divitiarum: propter hoc contendentur, Ecclesiæ frequentant, missas celebrant, psalmos decantant, pro Episcopatibus & archidiaconatibus impudenter decertatur, ut Ecclesiæ redditus in superfluitatis & vanitatis usus dissipentur. Pro hujusmodi esse volunt Ecclesiæ præpositi, diaconi, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi: non enim hac merito cedunt, sed negotio, quod perambulat in tenebris. Vox plangentis ecclesia in tempore isto: filios enutrivi & exaltavi, nisi autem s̄ preverunt me: s̄ preverunt, inquam, me. & maculaverunt turpi vitâ, turpi quæstu, turpi commercio, à negotio deniq; perambulante in tenebris. Quæ & alia Bernardi verba cum recitasset Claudio Espencæus in epist. Pauli ad Tit. c. 1. subiungit: *Sed nos cum Bernardo relinquamus istos sponsa magis venditores, quam inventores, & jumentorum ejus, h.e. Apostolorum ministerii locum sortitos, non zelum, successores omnes esse cupientes, imitatores per paucos, tam utinam ad curam vigiles, quam alacriter ad cathedram (si modo ad cathedram) currentes, perdentes nos, non servantes, nec suis nec sibi quidem parcentes, atq; ita experientes pariter ac pereunte. Idem Espencæus in prefat. digressionum ad Catolom Borbonum Cardinalem plenius mentem suam exponit, dum ait: Ego enim ex eorum numero me esse profiteor, quibus ex animo dolet, Ecclesiæ ministeriorum vocabulis utcunq; retentis, seculis degenerantibus & in pejus proficiensibus, resbonâ ex parte intercedisse ac vetustate velut evanuisse: umbris modo ac imaginibus pleriq; utimur, & quæst*

quasi in specu Platonica desidentes oblectamur, sic indubie errantes, quod Paulus ait, & alios in errore involventes, ut quam hodie nunquam magis querimoni illi Hieronymiana locuſ fuerit: Non omnes Episcopi ſunt, &c.

IX. Diversa omnia docuit Magister ipse, autor ministerii Ecclesiastici: diversa etiam Petrus 1. epift. V. 2. Pafcite, inquit, qui in vobis eſt gregem DEI, p rovidentes non coacte ſed ſpontaneè ſecundum DEUM, neq; turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neg, ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Vix reperietur hodie quisquam, qui coacte Episcopim munus uſcipit; ſed qui turpis lucri gratia, & ut dominantur in clero, id exercent, dum tam exercent, penè innumerū lunt. Hinc adeò vides eos Ecclesia ſuæ curam non aliter habere, niſi ut ditelcant, neve reditūs, quibus percipientis admodum intenti ſunt, minuantur, & ut ventri tantum ſuo benè ſit, de ovi bus uſuis, ut paſcantur, ut pingueſcant & incrementa quotidie capiant, parū ſolliciti. At verò de paſtoribus iſtiuſ modi divina hæc eſt ſententia, Ezech. XXXIV, 2. seq. Vx paſtoribus Iſraēl, qui paſcebat ſemetipſos: nomine greges à paſtoribus paſcuntur? Lac come debatis, & lahiſ operiebāmini, & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non consolidatiſ: & quod agrotum non ſanatistis, quod confractum eſt, non alligatistis, & quod objecatum eſt, non reduxitis, & quod perierat non quaſifit, ſed cum auſteritate in perabatis eis, & cum potentia. Et diſperſa ſunt oves mea, eò quod non eſſet paſtor: & facta ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſa ſunt. — — Vivo ego, dicit Dominus DEUS, quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves mea in deuorationem omnium beſtiarum agri, eò quod non eſſet paſtor, neq; enim quaſie- runt paſtores mei gregem meum; ſed paſcebat paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebat, propere a paſtores, audite verbum Domini. Hac dicit Dominus DEUS: Ecce ego ipſe ſuper paſtores, requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, ut ultra non paſcant gregem, &c. Et quid verò de Episcopis hodiernis dici poſſet apertius?

X. Sed inquiunt illi, ſi diiſ placet, Epilcopi, quod iſpi non facimus, per alios expedire ſolemus, qui vicariam operam præſtant, & perinde eſt, ac ſi nos iſpi officio iſto fungeremur. Neque id fieri contendunt invitis & repugnantibus canonibus, quod jam olim in Concilio Valentino III. can. 16. permiffum legatur. At verò hoc eſt, quod dixit Claudius Espencaeus, & de quo maximè dolet, Ecclesia ministeriorum vocabulis ut cunque reten- tis res bona ex parte intercidiffe, ac vetuſtate velut evanuiffe. De Vicariis dixi plenius lib. 1. cap. 14. Ipsi oves hanc ſuorum paſtorum ſocordiam animadverturnt, & graves ſæpè movent querelas. Adjiciam verba Johannis Molinæi Professoris Lovaniensis ex epift. dedicat. quam præmisit operibus Iyonis Carnotensis. Quæ enim ita in valuerunt corruptelæ, eas malo

ex aliena descriptione, & eorum potissimum, qui eandem religionem profitentur, doceri, quâm meis, quæ suspecta esse possent verbis. Sic autem ille: *Unum interim reticere nequaquam possum, unde veluti è fonte, quicquid est malorum, putatur scaturire, quamquam id notius omnibus sit, quam ut quisquam dissimulare possit.* Inter religiones præsides Episcopos, quotusquisq; ac præserim per Galliam, ac Germaniam, vicinas nobis provincias, quotusquisq; obsecro unquam ac portiunculam aliquam officii attigit sui? ecquis aleuria unxit? Ecclesiæ dedicavit, virgines sacravit, pænitentibus illustratisq; manum imposuit? ecquis unquam paræciam visit ac lustravit suam? deniq; quis unquam suæ gestum ad populum clerum ve verba divinatacturus consendit? Annon omnia, quamquam sūi naturâ fere hujusmodi sint, ut mandari nequeant, novo inauditoq; more, ac circa ullum majorum exemplum, in aliorum fere humeros rejiciunt? quorum usus adeò vetustus non est, ut hujusmodi tototu[m]ta in toto jure Pontificio vix dum nomen invenerint. Si enim Episcopos coëpiscoposve vocaretentaveris, illicet in canonem Nicianum impinges, qui non patitur eidem civitati plures praefici antistites. Sin chorepiscopos malis, nihil poteris rectius: quod manifestissimum sit, horum olim fuisse multo arctiorem, quâm sit hodièistorum propontisum potestatem. Et tamen hos ipsochorepiscopos àd r[ati]o[n]e xp[ist]ie, quasi vicanos villanosq; Episcopos dictos, Damasus Papa sustulit, ne Pontifices otio ac quieti dedit aliquam, quamvis non omnem, munera sui partem in has velutini vicarias operas averterent, quos etiam infami fædâg; similitudine meretricibus, qua enixa partus alendos alio amandare consueverunt. ex equavit. Sic & isti, inquit, infantes suos, id est, populos sibi commissos alii educando tradunt, ut suas libidines expleant, id est, ut profuso lubitu secularibus curis inhabit, & quod unicuiq; visum fuerit liberius agant, & subdit idem continuo. Pro talibus enim anime negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, heres & schismata prodeunt, Ecclesia destruuntur, sacerdotes vitiantur, & reliqua mala provenient.

XI. Paterfamilias, qui electorum servorum operas sibi conduxit, non permittit facile, ut per substitutos & vicarios illi eas prætent, ipsi autem curando ventri indulgeant. An verò putabimus, patri cœlesti perinde esse, sive ipsi ministerium præstemus, sive per alios, prout lubitum nobis fuerit? Et quod homines omnino fieri in suis rebus non paterentur, id terre credemus patrem cœlestem, qui se bonum pastorem & bonum patrem-familias ubique & vocat & ostendit? Industria personæ ubi electa est, ipsius illius opera requiritur, non alterius alicujus per speciem alienæ fungendæ vicis. Et illi sanè, qui ad Episcopatum se evehi patientur, de industria suâ multa & magnifica promittunt, quæ ipso opere præstare oportet, cum non in verbis & externo cultu res vertatur, nec signavâ operâ id officium expleatur, sed diligentia, & assiduitate, & crebrâ animarum sibi creditarum reco-

recognitione opus sit. Prælens ergò ipse operari debet Episcopus, quippe qui propter hanc curam ab Ecclesiâ stipendium accipit. Ubi autem stipendium pro opere penditur, naturalis ratio dictitat, non sufficere vicarium constitui, etiamsi dignorem te ipso substituas. Optimè Dominicus Soto de just. & jur. lib. 3. q. 6. art. 3. conclus. 7. Sed ais, satis est laborare per alium. Profecto si non debet manducare, nisi qui laborat, fit, ut qui non per se, sed per alium laborat, non debeat ipse manducare, sed contentus esse, si loco illius alius manducet. Ait fortasse Paracius beneficii possessor, satis est huic Ecclesia hunc vicarium substituere. Responderet autem Ecclesia, si fari scriberet: Ergò satis est ei hac, quam tu illi tribuis merces, cur ergò reliquum ex me, absq; ullo servitio surripis?

XII. Pascendi istud officium, quod Episcopis præcipue competere dicitur, maximam partem in prædicatione verbi consistit. Nec ergò debet quisquam ad officium istud promoveri, qui facultate docendi instrutus non est, multò minus ille, qui ex longius disstis & peregrinis oris cum veniat, nullum omnino cum populo sibi commisso habere potest linguae & sermonis commercium. Et tamen Episcopatum Lichefeldensem in Anglia promotum fuisse legimus Rogerum de Molend, hominem peregrinum, & Anglicanæ linguae prorsus ignorum, qui propterea pastoralis munieris omni curâ abjecta, in patriâ suâ otiosus delituit, donec Joannes Peckamus Cantuariensis Archiepiscopus edicto publico sub poena remotionis moneret, ad Episcopatum suum ut rediret, ibique resideret. Cumque venisset tandem, eum ob tantam socordiam acerrimè objurgavit, quod etsi idiomaticus inscius pascere suæ diœcesis gregem verbis prædicatione nequisset, præsentia tamen suâ eleemosynis & liberalitate alere debuisset. Vid. Matth. Parkerus in antiqu. Eccles. Britann. in vit. Joh. Peckam. Franc. Godwin. de presul. Angl. p. 373. At si sufficit hoc ad Episcopale officium, poterit Episcopus fieri imperitus quisque, paulo majoribus opibus præditus.

XIII. De non residendi licentiâ, quæ Canonici juris Doctores tradere solent, ad nos nihil pertinent. Novioris Ecclesiæ id institutum est, & sæpius improbatum. Attendere jubentur Episcopi gregi suo, Act. XX, 28. attendere autem non convenit in ablentem, sed in prælentem, nec è πισκοτίᾳ potest, qui abest à grege suo. Προσεδρεύοντες τῷ Θυσιασηγίῳ dicuntur ministri Ecclesiæ 1. Cor. IX, 13. προσεδρέουν autem idem est, quod assidere, assiduum esse, gnaviter incumbere, & perpetuam assiduamque muneris curam denotat. Quomodo autem gerere talem potest, qui suam deserit Ecclesiam, nec in eâ præsens est? Idque olim, in Carthaginensi præsertim Ecclesiâ, tam strictè observatum fuit, ut nec permetteretur Episcopo extra Ecclesiâ cathedralem in suâ diœcensi aliam, penes quam habitaret, eligere. In codice canonum Ecclesiæ Africanæ sub num. 71. hoc legitur decretum:

Rursum placuit, ut nemini sit facultas, relictâ principali cathedralâ ad aliquam Ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre, vel in re propriâ diutius quam oportet, constitutum, curam vel frequentationem propria cathedrali negligere. Atque istum canonem capitularibus suis lib. 1. c. 41. inseruit Karolus M. Ut non liceat Episcopo principalem cathedralam suaparochie negligere, & aliquam Ecclesiam in suâ diœcesi magis frequentare. Videbantur autem Episcopi sacerdoti scilicet id facere ad declinanda onera in Ecclesiâ cathedrali quotidie emergentia, & ut liberiore otio frui possent alibi, in suâ tamen diœcesi. Extra diœcesin enim difficilior erat habitatio.

XIV. Eum in finem etiam Chorepiscopi recipi cœperunt, ut Episcopi ipsi quietiore vitâ frui, & voluptatibus suis indulgere eo liberius possent. Idve acri censurâ notat Hincmarus Rementis epist. 45. cap. 16. Quidam Episcopi, inquit, eriam à longè precedentibus temporibus scandalum pro sua quiete & voluptatibus in Ecclesiam intronisserunt, ordinantes choropiscopos, & eis, quæ summis pontificibus convenienter, agere permittentes. Et hi choropiscopi deinceps propter istam Episcoporum desidiam prorsus interdicti fuerunt, jussique Episcopi suo ipsimet officio defungi, nec vicariâ amplius operâ uti. Dixi eâ de re lib. 1. cap. 13. Eoque pertinent in Capitularibus lib. 7. capitula 310. 318. 328. 329. Omnidò enim in ordinem cogi Episcopos voluit Karolus Magnus, adeò ut extra casum necessitatis Ecclesiam suam eos relinquere haudquam passus fuit. Quem in finem non Africanum tantùm canonem supra allegatum capitularibus suis inseruit, sed etiam prolixiorē hanc edidit prohibitionem lib. 5. c. 177. Comperimus quosdam Episcopos & Abbates atq. Sacerdotes non causâ necessitatis aut utilitatis, sed potius avaritia & proprietate delegationis sapissimè propriâ civitatis sue fide, vel monasterii septa aut Ecclesia propria derelicta, cleroq. neglecto remotiora loca frequentare. Pro quâ re & deslitigio divini cultus & predicatione in plebis, & cura subjectorum postponitur & hospitalitas negligitur. Quod ne ulterius à quoquam sine inevitabili necessitate aut aliqua utilitate fiat pari consensu inhibuimus.

XV. Plura non addam. Ex dictis autem constat, infinitis curis & sollicitudinibus subjectum esse munus Episcopale, quas qui sustinere renuit, dum ad officium istud promoveri se passus fuit, non magis ille Episcopus dici potest, quam dici poterit janitor, qui januam nunquam aperit nec claudit, agt gubernator navis, qui ad clavum sedere recusat. Nec poterit verò talis ullam culpæ suæ excusationem prætexere, quandoquidem hoc ei sub hac conditione commissum fuit officium ut curam animarum habeat, & de administratione sua Domino & Cœatori animarum rationem reddat. Die igitur omni, ait Augustinus homil. 24. & omni horâ & curâ omni no continuâ cogitare debet Episcopus, quanta dispensationis sarcinam gerat,

quatu-

qualem de illâ rationem domino suo reddat, &c. Meminerint omnes, sibi non potestatem usurpandam, sed serviendum imperio: cum eorum munus ministerium sit referendis rationibus obnoxium, non imperium, in quod inquietus nequam debeat, paterna procuratio, non tyrannica pro arbitrio vivendi licentia: dispensatoria prefectura, non potestas minimè reddendis rationibus obnoxia, uti ferè loquitur Isidorus Pelutiota lib. 3. epist. 216.

CAP. IV: Decastitate Episcopi.

I.

Castitatem semper apud ipsos etiam gentiles maximè commendatam, specialiter vero Christianis omnibus imperatam, & ab Apostolo sedulò inculcatam fuisse, notius est, quam ut demonstrari oporteat. Castitas autem ista, quæ *αγαστός καὶ ἔξοχη* appellatur, 1. Thes. IV, 4. & *εὐεργέτια* Galat. V, 22. consistit in sanctâ abstinentiâ cùm à Veneris uia, tum à Veneris abuso, sanctâ scilicet à corpore & spiritu, 1. Cor. VII, 34. Verè angelica hæc est virtus ac divina, cœlestis sanctitatis æmulatrix, pulcherrima, atque ideo cum mundo & purissimo mundi Sole comparatur. Syr. XXVI, 21. Utilissima præterea ac infinitorum præmiorum fœcundissima, quale est generale istud promissum: Matth. V, 8. Omnis autem castitas in carne, spiritu & anima est, ne scandalizetur oculus, ne in formositate vultus fœminei harentes pendeamus, ne blanda nos verba audire delectet, ne ad simulatos sermones mens prius dura marcescat.

II. Castitas hæc cùm coincidat cum sanctitate, & Episcopi à plurimis jam seculis sancti dici cupiant, uti supra demonstravi, dubium non est, castitati eos præ cæteris studere debere. Unde Paulus Tit. I, 8. Episcopum *εὐεργέτην* esse vult. Ista verò *εὐεργέτια* ex mente interpretum tantum habet ambitum, ut is vere *εὐεργέτης* dicatur, qui non solum in cibos, sed etiam in linguam, & manus, & oculos impudicos imperium exercet, uti commentatur Theophylactus. Et sic etiam Clemens Alexandrinus lib. 3. Strom. Continentiam non oportet considerare in uno solum genere, nempe in rebus Venereis, sed etiam in quibuscumq; aliis, quæ luxuriosa concupiscit anima, non contenta necessariis, sed sollicita de delicis. Continentia est pecuniam desplicere, voluptatem, possessionem, spectacula magno & excelsò animo contemnere, os continere, ratione quæ sunt mala vincere, &c. Inter istas continentiae species tamen maximè eminet temperantia in rebus Venereis, quæ præcipue pollere debet Episcopus. Lucerna enim is est Ecclesiæ: per ejus mores puros vel impuros bellè habet aut laborat

C 3

corpus

corpus Ecclesiæ, cui præpositus est; Ut loquitur Gregorius Nazianzenus epist. 22. Adeo, ut non in ipsis tantum Episcopis, sed & in eorum filiis pudicitia attendenda sit, nec Episcopus esse queat, nisi castitas ejus filiorum quoque comitum, ministrorum pudore decoretur, uti nonnulli explicant dictum Apostoli, i. Tim. III, 4.

III. Sed quia de castitate ab Episcopo servandâ nullum omnino est dubium, id præcipue nuncerit videndum, utrum propterea abstinere is debet à conjugio? & utrum uxorati, dum conjugio utuntur, possint fieri Episcopi? Præsupponunt autem, qui matrimonium ordinis Ecclesiastico non convenire statuunt, castitatem conjugio violari, pollui, & contaminari, atque in conjugio contra castitatem peccari: conjuges castitate Deo placente destitui: statum conjugalem esse carnale & immundum, cui illa, quæ Scriptura de castitate, pudicitia, munditie & sanctimoniam prædicat, non possint convenire: commixtionem sexuum etiam in conjugio rem esse immundam. Et hanc immunditatem atque impuritatem pugnare, adjunt, cum officio Ecclesiastico, quod gerit Episcopus, nec habere præsentiam Spiritus S. qui officio generationis obsequitur, c. coniubia 32. q. 2. spuriacionem istam & pollutionem pietatis impedimentum esse, animam hominis per eam ad inferiora deprimi, ut minus idoneus sit ad ea, quæ coelestia sunt meditanda atque tractanda. Et hinc merito ordinem Ecclesiasticum ab ista impuritate arceri.

IV. Verum enim verò, qui ita sentiunt, perpetuam turpitudinem & ἀταξίαν statui conjugali tribuunt, sed quam ab ipso ejus usu distingui debere rectè statuerunt Veteris Ecclesiæ Doctores. Castitatem enim non in solo cœlibatu consistere, nec conjugio eam, sed vagis illicitisque libidinibus opponi debere sacra nos docet pagina. Si namque libidinis remedium est matrimonium, in ipso utique libido non erit. Si in conjugio est πάσις, ἀγάθη, ἀγιασμὸς μετὰ των Φρεσούντων, ἀγνεία, si adolescentulæ φίλανδοι & φιλότεκνοι temperates & castæ esse possunt, i. Tim. II, 14. Tit. II, 5. i. Thes IV, 4. Si conjugium ipsum esse potest honorabile & iubile impollutum? Hebr. XIII, 4. quis negare vellet, in eo inveniri castitatem Deo placentem. Etsi verò negari nequeat, castitatem conjugalem in statu integratis, quo homo nullis pravis affectibus impetus fuit, in naturali inclinatione sexus ad sexum constitisse, & sine flanis atq; incendio ibidinum purissimam exstitisse, post lapsum autem eandem pravitate quādam libidinis esse infectam & inquinatam; debet tamen in hac post lapsum coabitatione conjugum ipsum opus ab ejus ἀταξίᾳ distingui, quam & agnoscent pii conjuges, & refrenare subinde student, nec furori libidinis more gentium vel bestiarum indulgent. Prout enim usus hujus copulæ à conjugibus exercetur, Scriptura vel ἀνέγοιται eis tribuit, vel castitatem, i. Cor. VII, 5. i. Tim.

1.Tim. II, 15. Ethoc est, quod scribit Augustinus lib. 2. de pecc. orig. c. 38. Nuptialis concubitus, quem matrimoniales quoq; indicant tabula, causâ procreandorum fieri filiorum, per se ipsum prorsus, non in comparatione fornicationis, est bonus, qui tamet si propter corpus mortis sine bestiali motu, de quo natura erubescit humana, fieri non potest, tamen ipse concubitus non est peccatum, ubi ratio libidine utitur ad bonum, non superatur ad malum. Et lib. de bon. conjug. c. 16. Quod est cibus ad salutem hominis, h. e. concubitus ad salutem generis, & utrumq; non est sine delectione carnali. Quia tamen modicata & temperantia refrenante in usum naturalem redacta libido esse non potest. Quod est autem in sustentanda vitâ illicitus cibus, hoc est in querenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et quod est in luxurîa ventris & gusturis illicitus cibus, hoc est in libidine nullam prolem querente illicitus concubitus. Et quod est in cibo licto nonnullus immoderatio appetitus, hoc est in conjugibus venialis ille concubitus, &c.

V. Qui ἀγαπῶ & ἀγαπᾶν conjugium dixit Spiritus S. an putabimus, interdixisse eo Episcopos ideo, quia ipsi sancti esse jubentur. Imò verò sanctiores erunt illi, si habeant, suas ubi exlerere queant virtutes. Deus omnibus in universum hominibus potestatem concessit, si velint, ineundi matrimonium. *Genes. I, 28. c. II, 18. 24. 1. Cor. VII, 28. 36.* nec exceptit quenquam, & conjugium honorabile apud omnes esse voluit, *Hebr. XIII, 4.* Apostoli ipsi potestatem hanc sibi concessam esse gloriantur, *1. Cor. IX, 5.* De Uxore enim istud Pauli dictum accipendum esse, patet tūm ex coniunctione vocabulorum, ἀδελφὸν γυναικα, tūm ex ipsa negotii illius conditione & qualitate, quod non sine offendiculo & sinistris suspicionibus Apostoli mulieres, quæ Uxores non essent, sibi adjungere, eque loco in locum, ex urbe in urbem, ē provinciā in provinciam circumducere (περιάγειν, quod vocabulum etiam ipsum de Uxoribus magis, quam aliis mulieribus liberè sequentibus accipendam videtur) potuissent. Vid. Georg. Calixt. de conjug. Cleric. p. 118. seq. Sed nec Episcopum dedecere statum conjugalem aperte constat ~~et~~ *1. Tim. III, 2. & 4.* Oportet Episcopum esse unius Uxoris Virum, & sua domini benè præpositum, filios habentem subditos, &c. Denique ipse etiam Apostolus, *1. Cor. VII, 9.* melius esse nubere, quam uni, universaliter & sine exceptione definit, idque propterea etiam ad Episcopos applicari debet, si uestionibus vexentur, cum Apostolus non suadeat tantum non continentibus nuptias, sed imperet. Et porrò doctrinam dæmoniorum vocat, si quis prohibere velit nuptias, *1. Tim. IV, 3.*

VI. Episcoporum animos ab uestionibus immunes & liberos esse nemo mihi persuadeat, præsertim si nondum decrepitæ fuerint ætatis. Ipse S. Hieronymus de se fatetur ad Eustoch. de custod. virg. epist. 23. O quoties ergo ipse in eremo constitutus &c. putabam me Romanis interessè delitus, sedebam

bam solus , horrebant sacco membra deformia , & squalida cutis situm . Ethiopica carnis obduxerat , — — scorponum tantum socius & ferarum . Sapè cho-
reis intereram puellarum . Pallebant ora jejuniis , & mens desideris astua-
bat ; in frigido corpore & ante hominem suum jam carne pra mortuā sola libi-
dinum incendia ebulliebant . Sanctiores nullo modo esse poterunt nostra-
tes Episcopi , dum in meris hodiè vivunt delitiis , & immoderato cibo ac po-
tu Venerem atque libidinem in carne suā provocant . Quibus profectò
satius eset , Apostoli monitum sequi , & libidinis remedio in cubili impollu-
to honestè uti , quām conjugium iniquè spernere , & turpissimis interim li-
bidinibus atque ardentissimis ustionibus succumbere .

VII. Dicis , continentiam omnibus potentibus donari , hominesque ad eam adstringere posse , eò quod Deum invocantibus donum id non de-
negatur , adeoque in nostrā potestate esse , utrum petere id velimus . Ve-
lim autem mihi exponi , unde constet , Deum dare velle continentiae do-
num omnibus potentibus , & unde quis certus esse queat , id sibi concessum
esse à Deo in perpetuum . Dum dicit Paulus : *Volo omnes homines esse , sicut
me ipsum ; sed unusquisque proprium donum habet ex DEO , alius quidem sic ,
alius verò sic .* Haud obscurè prodit vitam continentem , aut abstinentem
potius ab omni Venere , non omnibus datam esse , nec ad eam vocari omnes .
Sunt enim dona quædam specialia , ad salutem omnibus pijs non necessaria ,
de quibus nulla extat promissio , quod Deus velit omnibus & singulis cre-
dentibus dare , qualia sunt donum sonationum , donum miraculorum , do-
num prophetandi , donum linguarum , & sic etiam donum continentiae . De
hoc enim , cùm Apostoli ex verbis Christi cœlibatum conjugio anteferrent ,
Matth. XIX. 10. respondet ipse : *Non omnes capiunt verbum istud , sed quibus
datum est :* Innuens , speciale planè id esse donum , nec cuivis à Deo
dari . Et ut maximè datum id sibi esse penes se aliquis sentiat , poterit ta-
men id fortè temporarium esse , & dubius proinde erit , num semper id ha-
biturus sit . Rectè omnino Cœlarius Episcopus Arelatenfis *homil. 10.* Si
virgo esse non potest , non ad hoc premitur , ut uxorem non permittatur acci-
pere . In his enim omnibus , quæ ad corporis fatigationem pertinent , nullus Chri-
stianorum invitatus cogitur : sed qui potest implere , DEO gratias agat , qui vero
non potest implere , charitatem veram teneat , & in ipsa habebit omnia .

IX. Hinc vero intelligitur , iniquè admodum nec satis consideratè le-
cum agere illos , qui solenni se voto ad perpetuam à muliere abstinentiam
sive cœlibatum se adstringunt . Cœlibatum enim non esse idoneam voti
materiam , patet exinde , quod non sit ita in hominis potestate , ut semper
maneat in eodem statu , cùm de futuro , præsertim perpetuo in talibus cer-
tus esse nequeat , & fieri possit , ut injecto sibi tali laqueo , salutis impedi-
mentum inde accedat . Vota autem Deo talia nuncupanda sunt , quæ citra
divi-

divinum miraculum, & extraordinarium Dei auxilium sunt in potestate nostrâ, circa objecta à Deo vel præcepta vel permissa ad excitandam devotionem, & citra neglegentum ullius boni operis, quod in præcepto est. Quæ non sunt in naturali potestate nostra, & quæ arbitrium nostrum excedunt, hæc nec vovendi potestatem habemus. Et temerarium proinde est istud cœlibatus votum, imò divinæ intentioni adversum proflus, quod hodiè à Clericis & Episcopis omnibus exigitur. Benè Ambrosius lib. 1. de Virg. ab. Non imperari potest virginitas, sed optari. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis sunt, quam in ministerio. Et in exhortat, ad virg. Sola virginitas est, quæ suaderi potest, imperari non potest.

IX. Apostolos si non omnes, aliquos saltem suas habuisse uxores, exemplo Petri patet, quem socrum & sic etiam Uxorem habuisse constat ex Matth. LX, 14. Marc. I, 30. Luc. IV, 38. Habuit etiam Philippus diaconus filias, Actor. XXI, 9. Et sine dubio mariti fuerunt etiam alii, tum discipuli, tum Apostoli. Sic enim scribit Ignatius in epist. ad Philadelphenos, dum virginibus præcepta dat, & laudat eos, qui innupti manterunt: Non detrahō autem ceteris beatis, qui nuptiis copulati fuerunt, quorum nunc memini. Opro enim D E O dignus ad vestigia eorum in regno ipsius inveniri; sicut Abraham & Isaac & Jacob, sicut Joseph & Isaias, & ceteri Prophetæ, sicut Petrus & Paulus & reliqui Apostoli, qui nuptiis fuerunt sociati: qui non libidinis causâ, sed posteritatis fabroganda gratiâ conjuges habuerunt. De auctoritate epistolarum Ignatianarum nolo nunc committere inter se contendentes Nicolaum Vedelium, Isaacum Vossium, Jacobum Usserium, Johannem Dallæum, Henricum Hammondum, Davidem Blondellum, Johannem Pearson & alios, quorum eruditæ disceptationes publicæ luci expositæ multum contulerunt ad veritatem indagandam. Quod vero in verbis allegatis etiam Pauli mentionem facit Ignatius, cum is cœlebs fuisse credatur vulgo, & ex ejus ipsius verbis colligatur, i. Cor. VII, 7. 8. dubitari coepit à quibusdam vel de ipsis illis verbis, utrum genuina & authentica sint, vel de autoris fide. Vid. Jacob Usserius in annotat. ad Ignat. epist. cap. 17. Joh. Dallæ. de script. Ignat. lib. 2. cap. 20. Quicquid vero statuatur de Paulo, reliquorum Apostolorum conjugio quod objiciatur, fortè nihil extat, nisi quod quisque sibi in cerebro suo fabricat, præfertim cum similia accedant aliorum testimonia, Clementis Alexandrini lib. 3. Strom. Eusebii lib. 3. hist. Eccl. cap. 30. Originis in cap. 1. epist. ad Rom. Sanè consuetudinem conjugalem rem esse impuram & immundam, aut abominandam, negat Ignatius epist. ead. Si quis, inquit, hac confitetur, corruptionem vero aut coquinacionem vocat legitimam mixtionem & filiorum procreationem, aut aliquam escam execrabilem putat: hujusmodi cohabitatem habet Draconem apostamatam. Quibus verbis idem dixit Ignatius, quod Paulus

d

lus

Ius I. Tim. IV, 1. 3. prohibitionem nuptiarum & ciborum vocans doctrinam dæmoniorum. Neuter igitur rationem Ecclesiæ Latinæ, cur prohibitas esse clericis voluerit nuptias, calculo suo approbavit, sed damnavit, & verbo divino aduersam esse docuit.

X. Non defunt sanè exempla Episcoporum, qui in veteri Ecclesiâ cum Uxoribus suis vixerunt. Apud Eusebium lib. 6. cap. 42. mentio fit Chæremonis Nili Urbis Episcopi, quod metu persecutorum grandævus jam cum conjugie suâ in Arabicum montem fugâ delapsus fuerit. Sic & maritus fuit Phileas Ecclesiæ Thmuitarum Episcopus apud eundem lib. 8. cap. 9. item Spyridon Trimythuntis in Cypro Episcopus apud Sozomen. lib. 1. cap. 11. Gregorius Nazianzi in Cappadocia Episcopus alterius Gregorii, qui Theologus dictus fuit, pater, uti patet ex hujus carmine de vita sua. Gregorius item Nyssæ Episcopus, qui, dum de vera virginitate tractatum meditatur, cap. 3. se propter conjugium minimè adspirare ad eam posse facet. Quòd & facit epistola Gregorii Nazianzeni consolatoria, quam ad hunc Gregorium Nyssenum scripta propter obitum Theosebiæ Uxoris. Porrò in conjugio vixisse legitur Hilarius Piætaviensis civitatis Episcopus apud Venantium Fortunatum, qui seculo VI. ejus vitam descripta. Item Synesius Ptolemaidis Cyrenaicæ Episcopus, qui dum ordinaretur, disertis verbis professus fuit, Uxorem le dimissurum non esse, uti scribit ipse epist. 101.

XI. Negari tamen nequit, primis illicet sub initio magno in honore fuisse cœlibatum, certo etiam respectu, & si donum continentiae quis habet, matrimonio prælatum. Ipse Paulus, cuius sententiae & porismata præcipue urgeri solent, valde propendet in commendationem cœlibatus tam, quæ eum longè excellentiorem faciat conjugio. Bonum est, inquit, 1. Cor. VII, 1. homini mulierem non tangere, & porrò v. 38. Qui jungit matrimonio, bene facit, qui non jungit, melius facit, item v. 40. beator erit, si cœlebs manserit. His vero verbis abrepti quidam in nimiam cœlibatus commendationem extra limites à Paulo præscriptos simpliciter & absolute eum præferri voluerunt matrimonio, cum tamen Apostolus illic ad certum statum suas restringat assertiones. Dicit enim vers. 26. bonum esse cœlibatum propter instantem necessitatem, per quam intelligit pericula persecutionum, quæ tum temporis propter Evangelium quotidie imminebant & præsentia erant Christianis, quod in illis perferendis multo expeditior esset cœlibatus, quam status conjugalis, quippe in quo animi frangantur sæpè, conspectu & recordatione Uxor, liberorum, & reliquæ familiæ. Sed & extra persecutionum pericula multo expeditiores esse cœlibes in pietatis exercitiis observat Paulus, quam eos, qui matrimonio juncti sunt, tum propter molestias & difficultates, quæ exoriri identidem in con-

in conjugio & re familiari solent, cum quod ipsa etiam Uxor non nihil distrahit animum sui mariti. Sic enim pergit Paulus v. 32. Volo autem vos sine sollicitudine esse : *Quis sine Uxore est, sollicitus est, qua Dominis sunt, quomodo placeat D E O. Qui autem cum Uxore est, sollicitus est, qua sunt mundi, quomodo placeat Uxori & divisus est; Et mulier innupta & virgo cogitat, qua Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu; qua autem nupia est, cogitat, qua sunt mundi, quomodo placeat Viro.* Et haec omnia intellegi vult Paulus de illis, qui dono continentia prædicti sunt, quibus hanc dat suam *γνώμην*, suam sententiam, suum judicium, non præcisè consilium, uti non satis aptè reddidit Interpres Latinus, liberum autem unicuique relinquit, utrum hâc suâ *γνώμη* uti velit, ex sensu doni & vocationis Dei. Sed non omnibus consuluit, ut in cœlibatu viverent, qui vellent. Imò è contrario non solum consuluit, sed etiam imperat, ut qui se non continent, nubant, v. g. Et alibi, *volo, inquit, juniores nubere, filios procreare, matres familias, &c. I. Tim. V, 14.*

XII. Cum ita sub initium nascentis Ecclesiæ crebris persecutionum procellis agitaretur Orbis Christianus, & haec Pauli Apostoli *γνώμη* omnibus cognita esset, mirum non est, ad cathedras Episcopales plerumque promotoe fuisse *ἀρχιεπίσκοποι*, & eos præsertim, qui ætate jam provecti erant, & ab unctionibus liberi, ut & expeditius atque liberius instare possent verbo Dei, doctrinæ, atque orationi, & nihil omnino committeretur ab eis, quod honestati adversum aut scandalo esse posset. Invaluit autem mox opinio alicujus necessitatis, quæ quidem non ex præcepto accersebat, quale eo tempore nullum extabat, sed ex qualitate & conditione officii, ac si tali officio præesse non posset, qui conjugio implicatus esset. Et ex hac opinione nî fallor natum est decretum Concilii Neocæsariensis cap. 1. Presbyteri si Uxorem duxerit, ordine suo moveatur. Quæ quidem verba intelligi poterunt de Uxoribus post presbyteratum adeptum ductis, non de illis, quas ante ordinationem ductas haberent, iisque utearentur. Putabant scilicet Patres Neocæsarienses, mandari ita non posse, ut Uxorem quis suam, quam habebat, abdicaret, aut ne commercio conjugali cum ea uteretur, mandari tamen posse, ut post initiationem nuptiæ novæ ne celebrentur. Idque ipsum noviter Decretum tūm fuit. Mansisse autem Uxores ante ordinationem ductas cum maritis suis sacerdotibus factis patet ex can. 8. ejusdem Concilii.

XIII. Particulare fuit hoc concilium in provincia Cappadociæ à septendecim tantum Episcopis celebratum, nec poterat ergo extra provinciam istam decretum illud obligare alios. Dedit tamen illud in Concilio Nicæno mox lecuto anlām, ut de conjugio Clericorum, quatenus admitti deberet, ulterius disceptaretur. Et videntur Patres inclinasse, tūm in

eam sententiam, conjugium illis omnibus, qui in sacris operarentur, interdicendum esse, donec à Paphnutio ostensum fuisset, tam grave jugum Ecclesiarum ministris imponi non debere, nec omnes ferre illud posse, & Ecclesiæ plus detrimenti inde illatum iri. Quà de re Socratem audire operæ erit precium. *Visum erat, inquit, lib. I. hist. c. I.* Episcopis legem novam in Ecclesiam introducere, ut sacris iniciati, Episcopi videlicet, presbyteri & diaconi cum Uxoribus, quas in statu Laico duxissent, non dormirent. Cum autem hæc de re consultatio instituta esset, in medio Episcoporum confessus surgens Paphnutius vehementer clamabat, grave jugum consecratis viris non esse imponendum, dicens, honorabile esse cubile & conjugium impollutum, videntiumq; ne nimio exquisita vita studio ecclesiam gravi incommodo afficerent. Negat enim omnes eque modi rigidam, qua humanos affectus excludat, disciplinam sustinere, nec castimoniam aquæ & singulorum Uxoribus servari posse. Castimoniam vero vocabat legitima Uxorius sum. Sufficere si quis prius in Clerum allectus sit, quam Uxorem duxerit, in posterum a nuptiis juxta veterem Ecclesia traditionem abstineat, nec quenquam ab illa, quam Laicus duxerit, se junxi oportere. Et hoc dixit Paphnutius, inexpertus nuppiarum, immo simpliciter ut dicam fæminarum. A puerò enim in asceterio educatus, & propter castimoniam, si quisquam alius, admodum celebris erat. Totus itaq; sacer conventus verbis Paphnutii assensum præbuit. Quapropter hanc questionem sòpiverunt, cuiusq; arbitrio abstinentiam ab Uxorius conservandæ permittentes.

XIV. Hanc Paphnutii historiam, quia coelibatui postea imperato valde repugnat, plurimi hodiè fabulosum esse dicunt, quos sequitur Vir in historia Ecclesiastica peritissimus Henricus Valelius, ad Socrat. d. I. duplice quidem ex ratione 1. quod Ruffinus, ex quo priora de Paphnutio haulerit Socrates, nullam hujus rei faciat mentionem. 2. quod nec Paphnutius ullus memoretur inter Episcopos Ægypti, qui Concilio Nicæno interfuerunt. Neutra ratio hic aliquid facere potest negocium. Non prima, quia ex Logicorum regulis notum est, in testimoniis humanis non licere argumentari negativè. Non secunda, tum, quia subscriptiones in Conciliorum editionibus vel corruptæ passim inveniuntur, ut perierunt profus, quod non differtur, qui leviter in illis examinandis versati sunt, tum, quod in Codice Arabico Josephi Ægyptii, quem ex bibliotheca Oxonensi, publicæ luci exposuit Johannes Selenus in commentario ad Eutychii origines, pag. 91. Septimo loco positus inveniatur, Paphnutius Ægyptius. Et potior inihi proinde videtur illustrissimi Petri de Marca censura, qui lib. I. de concord. sacerdot. & imp. cap. 8. num. 4. historiam ista suspectam dicere veretur.

XV. Non erat ante Concilium Nicænum ulla Clericis de coelibatu servan-

lervando lex posita, sed solâ consuetudine invaluerat opinio, decentiorem esse statum clericalem, si accessisset abstinentia ab usû mulierum, quam proinde ~~discretio~~ vocat Paphnutius, h.e. traditionem. Nec tum fortè ultra extitit lex Ecclesiastica alia, nisi quam intra Cappadociæ provinciam sibi posuerant Concilii Neocæsariensis patres, sub certo tamen statu & qualitate. Etiam post Nicænum concilium in Concilio Gangensi *can.* 4. decretum fuit, presbyterum conjugatum rectè administrare facra, nec ferri debere, qui ejus oblationi communicare nolint. Mansit vero interim opinio de prærogativa cœlibatus, præsertim cum ex monachis ad sacerdotium promoverentur nonnulli, qui vitæ alceticæ adsuerti auditoribus exemplo esse solebant penè inimitabili. Successit tandem in sede Romana anno CCCXXCV Siricius Pontifex, atque is primus fuit, qui lege latâ & pœnis indicatis cœlibatum ecclesiæ ministris imperavit. Videri eâ de re possunt ipsius decreta *cap. 7. & 8.* Eandem legem repetiit Successor ejus Innocentius in *decret. cap. 21.* Repetierunt deinceps alii, ut hodiè pro carcinomate & sacrato homine habeatur Episcopus, presbyter, aut diaconus, qui matrimonio junctus fuerit Uxori. Et quanquam rigor ille ab Siricio papâ tum adversus nuptias legitimas, tum adversus turpes concubitus promiscuè directus esset, ut ex verbis epistolæ apparet, posterioribus tamen temporibus ita limitatus est, ut solum conjugium premere videatur. Posthac enim levius delictum judicatum est, sacerdotem habere centum concubinas, quam unam legitimam Uxorem, quod fuit Cardinalis Campegii pronunciatum.

XVI. Ulterius excurrere nolo, cum ipsi aliquot Pontifices, quam difficile hoc sit jugum, exemplo suo comprobaverint, in primis Pius II. Innocentius IIIX. Alexander VI. Julius II. Leo X. Paulus III. & alii, quibus nulla continentia fuit ratio. De Episcopis aliis stupro & adulterio famosis nihil nunc addam. Quando satius autem esset desideria aliorum exaudire, & honestum conjugium, in quo castitatem versari dixi, permittere, quam ad pollutiones istas & fornicationes connivere. Aperte & ingenuè sententia in suam exponit Abbas Panormitanus *ad c. cum olim X. de conjug.* Cler. num. 4. dum ait : *Papa etiam cum majori parte concilii non poterit vindicare continentiam certo generi personarum post promotionem eis resistebitibus & reluctantibus, quia continentia est res, quæ potest persuaderi, imperari autem non.* Et post paucis sub num. 5. de lege cœlibatus hunc in modum differit : *Credo pro bono & salute animarum, quod esset salubre statutum, ut volentes contrahere relinquere voluntati eorum, non volentes autem continere, possint contrahere : quia experientia docente contrarsus prorsus effectus sequitur ex illâ lege continentia, cum hodiè non vivant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculantur illico coitu cum eorum gravissimo peccato:*

d 3

ubi

ubi cum propria uxore esset castitas. Unde deberet Ecclesia facere, sicut bonus Medicus, ut si medicina experientia docente potius officit, quam proficit, eam tollat. Eandem sententiam tenet Polydorus Virgiliius Vir eruditissimus in eleganti de invent. rer. tractatu lib. 5. c. 4. in fin. Illud tamen, inquit, dixerim, tantum absurde, ut ista coacta castitas illam conjugalem vicebit, ut etiam nullius delicti crimen majus ordini dedecus, plus mali religioni, plus doloris omnibus bonis impreresserit, inusserit, attulerit, quam sacerdotum libidinis labes. Proinde forsitan tam è Republ. Christiana, quam ex ordinis usu esset, ut tandem aliquid juxta quod jus publici matrimonii sacerdotibus restitueretur, quod illi sine infamia sancte potius colerent, quam se spuriissime ejusmodi natura virtus turpifacerent, &c.

XVII. Cæterum eo adhuc tempore, quo solâ consuetudine introducetus, nec lege adhuc imperatus fuit coelibatus, soliti fuerunt Clerici mulieres penes se habere contubernales, quas ovicæntes Græci, extraneas vocarunt Latini, quod scil. ex domo & familiâ suâ non essent. Eodem modo & mulieres quædam ovicæntes ævægæ habebant, uti patet ex Chrysostomi tractatu τὸς τὰς ἔχοντας ταρπίδεις οὐκεῖσθαι, itemque altero ad foeminas sibi viros tales adiçentes, qui habentur sub num. XVII. & XIX. tom. 6. Eaque consuetudo magis invaluit deinceps factâ matrimonii prohibitione, & ex Cypriani epist. 62. ad Pomponium. Πρόφασις & prætextus erat, ut socias haberent coelibatus, & ministras in rebus necessariis. Quia tamen ea res non caruit suspicione, & sub hac specie impurissimæ pollutiones committi poterant, vetuit magna Synodus Nicæna can. 3. ne liceat Episcopo, nec presbytero, nec diacono, nec ulli penitus eorum, qui sunt in clero, ovicænantes habere mulierem. Et certè non frivolum hanc fuisse iuspicionem, patet ex eo, quod eandem prohibitionem in perquam multis conciliis subsequentibus aliis repetere oportuit, uti videre licet ex Concilio Carthaginensi III. can. 17. Arelatensi II. can. 3. Toletano IV. can. 42. Turonensi II. can. 10. Aurelianensi I. can. 29. Arvernensi can. 16. Aurelianensi III. can. 4. Aurelianensi V. can. 3. Matisconensi I. can. 1. Cabilonensi can. 3. Sueffionensi can. 8. & pluribus aliis. Quam facile verò fuisse clericis extraneas istas mulieres à contubernio suo excludere, ne toties iteratis legibus opus esset, nisi illicitæ consuetudinis usus eos in diversa rapuisset. Ut propter ea meritò eas insegetetur Hieronymus pluribus in locis, maximè verò ad Eustachium epistol. 22. Unde in Ecclesiis Agapitarum pestis introit? Unde sine nuptiis aliud nomen Uxorium? immo unde novum concubinarum genus?

XIX. In supra adducto canone Concilii Nicæni excipiuntur mater, foror, amita & aliae personæ, quæ omnem suspicionem effugiant. Easdem excipit Imp. Honorius in l. 19. C. de episc. & presb. easque Clericis penes se habere permittit, ob rationem, quia in his nihil laevi criminis existimari fœdus

Iodus naturale præsumit. Concilium tamen Aurelianense V. can. 3. nec istas quidem mulieres exceptas esse voluit, si quidem horis indecentibus, in consanguineorum suorum clericorum congressum, colloquiumque venerint. Ut nullus Episcopus presbyter aut diaconus extranearum mulierum intra domum præsumat habere solatum, quibus etiam pro utilitate sua aliqua familiarius regenda committat. Quod etiam & de propinquis fæminis horis indecentibus similiter prohibemus, ut sub concessa sibi licentia parentali ab eorum sequipedis memoratorum vita vel opinio polluantur.

XIX. Simpliciter verò & absque ulla limitatione consanguineas istas fœminas à cohabitatione clericorum exclusas esse voluit Concilium Namnetense can. 3. Prohibendum & modis omnibus interminandum est, ut nullus sacerdos eas personas fœminarum, sicut & in canone insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat. Sed neq; illas, quas canones concedunt, (quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum) scilicet matrem, amitam, sororem. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio presbyteri, habeat in vico, aut in villa domum longè à presbyteri conversatione, & ibi eis subministret, quæ necessaria sunt. Repe-titur in Capitularibus lib. 7. c. 291.

XX. Procul ab ædibus presbyteri habitare jubet cognatas pauperulas, & ut presbyter per ministros necessaria ad sustentationem porrigat. Id verò ipsum, et si prudenter excogitatum videretur, mox aliam in corruptelam abiit, animadvertente Hincmaro Remensi, cujus verba recenset Regino Abbas Prumiensis lib. 1. de Eccles. disciplin. num. 220. Inquirendum est, si occasione bujus præcedentis capituli aliquis presbyterorum de reditibus Ecclesie vel oblationibus ac votis fidelium alio nomine res comparaverit, & ibi structuras fecerit, vel qua ad Ecclesiam perirent, ibidem collocaverit, & mulierum frequentationem inibi fieri permiserit, vel quod turpius est, tales mulieres ibidem habuerit, que lanificium suum exerceant, & curam domus agant, & in eodem presbyter frequenter veniens manserit, &c. Videtur in fraudem legis, sub specie necessitatibus suis subveniendi, ex facultatibus Ecclesiarum ædificasse domunculas, atque in eis suas aliisque cognatas, quæ tamen mox alias in consortium suum adsciverint fœminas, easque sapientiæ à Clericis visitatas fuisse.

XXI. Illud extra dubium est, neminem unquam decere sermonis obscenitatem, quam Græci αἰχματογίαν dicunt, verum eam multo detestabiliorē est in Episcopo, si vel loquatur ipse turpia, vel audiat saltem cum aliqua delectatione. Constitutum itaque fuit in Concilio Remensi sub Karolo Magno cap. 17. & repetitum in Capitularibus addit. 3. cap. 18. Ut Episcopi & abbates ante se joca turpia facere non permittant, sed pauperes & in-

& indigentes secum ad mensam habeant, & lectio divina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione & laude Domini. Idem presbyteris & clericis reliquis præceptum ab Herardo Archiepiscopo Turonensi cap. 108. Ut presbyteri & clerici ante se jocatur pia fieri non permittant, sed pauperes & indigentes ad mensas secum habeant, & legatur eis lectio. Et in Concilio Turonensi III. can. 7. Ab omnibus, quacunq; ad aurium & ad oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, quod de aliquibus generibus Musicorum alius q; nonnullis rebus sentiri potest, DEI Sacerdotes abstinere debent: quia per aurium oculorumq; illecebras vitiorum turba ad animam ingredi solet. Histrionum quoq; turpium & obscenorum insolentias jocorum & ipsi animo effugere, caterisq; Sacerdotibus effugienda prædicare debent.

C A P . V .

Episcopum deceat esse sobrium & temperantem.

I.

Ex doctrina morum, quam pietatis Christianæ regulæ constituunt, commune hoc & in vulgus notum est axioma, cavendam esse & averandam omnibus, qui sancte vivere volunt, ebrietatis & intemperantiae foeditatem, si non propter semetipsam, quia ipse ex se turpis est & abominanda, saltem idèo, quod nec scientes, immo nec quidem sentientes in funestissima mala præcipitet. *Multa enim faciunt ebrii, quorum postea sobrios pudet*, ait Seneca epist. 84. Sed detergere quemvis debent comminationes divinæ ebriosis & temulentis in Codice facto passim denuntiatæ, in primis quæ habetur Esa. V, 11. seq. Vx, qui consurgens manè ad ebrietatem se stendam & potandum usq; ad vesperam, ut vino astuetis. Cythara, & hyra, & tympanum, & tibia & vinum in convivis vestris: & opus Dominii non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit, &c. Possunt quidem pii aliquando liberaliore cibo & potu se exhibilare, dum ne id fiat frequenter nimis, neque eò se ingurgitent, ut ratio lœdatur & faciant ea, quæ hominis non sani esse etiam pueri judicent. Nec timiles ergo fiant illis, qui absorbent vinum, & absorbentur à vino, quos abominatur Deus, despiciunt angeli, deridentur ab hominibus, destituuntur à virtutibus, confunduntur à dæmonibus, concilcantur ab hominibus. Ut optimè Augustinus,

II. In explicanda hac ebrietatis foeditate admodum diligens fuit Cæsarius Episcopus Arelatensis homil. 5. & 6. Inter alia eleganti hâc utitur similitudine: *Quia corpora nostra terrena sunt, quomodo quando pluvia nimirum*

nimum grandis & diurna fuerit, ita terra infunditur, & in lutum resolutur, ut nulla in ea cultura fieri possit, sic & caro nostra quando nimis potu fuerit inebriata, nec spiritualem culturam accipere, nec fructus anima necessarios poterit exhibere. Et idèo quomodo omnes homines ita sufficientem pluviam in agris suis accipere desiderant, ut & culturam valeant exercere, & de fructuum ubertate gaudere, ita & in agro corporis hoc tantum deberent bibere, quod oportet, ne per ebrietatem nimiam ipsa corporis terra velut in paludem conversa magis vermes & serpentes vitiorum generare, quam fructus honorum operum possit affirre. Ovines ebrios tales sunt, quales & praeludes esse videntur. Quid enim in paludibus nascatur, non ignorat charitas vestra. Totum enim quod ibi nascitur, nullum fructum habere cognoscitur. Nascuntur enim ibi serpentes sanguisuga, nascuntur rana & diversa genera vermium, qua magis possint horrorem generare, quam aliquid, quod ad uitium proficiat, exhibere. Ipsa enim herbe vel arbores, qua aut in ipsis paludibus aut circa ripas rarum nasci solent, nihil utilitatis habere videntur, in tantum ut annis singulis incendio concrementur. Videte, quia quod de ebrietate nascitur, igitibus preparatur, &c.

III. Tanta cum sit apud omnes in genere homines hujus vitii deformitas & turpitudo, longè fœdior ea apparebit, si quando personæ Ecclesiastice illo infectæ fuerint. Qui enim cœtui alicui propter disciplinam præficiuntur ita, ut, qui eorum fidei concrediti sunt, in vitas eorum tanquam in speculum inspicere, atque ex iis exemplum sibi sumere debeant, ne, quam verbis profiteri oportet disciplinam, factis destruant, vix digni erunt eo nomine, quod sustinent, si in diversa omnia atque contraria vitam suam inclinare faciant. Et propterea reprehensibile magis in Clericis vitium istud ait Cæsarius homil. 6. Et hoc quidem, inquit, non solum Laios, sed etiam & Clericis dicimus: quia, quod peius est, multi sunt etiam majoris ordinis Clerici, qui cum aliis sobrietati bonum deberent jugiter predicare, non solum hoc non faciunt, sed etiam & se & alios inebriare non erubescunt nec metuunt. Sed agnoscant & doleant, quicunq; tales sunt, quia si se noluerint emendare, & prose & pro aliis necesse erit aeterna supplicia sustinere.

IV. Præterea, quæ in privatorum scriptis de sobrietate clericorum inveniuntur, plurimis etiam Canonibus publicorum Conciliorum vetita eis legibus ebrietas. Concilium Turonicum I can. 2. Ut haec valeant observari, somitem omnium vitiorum oportet abscindи. — — Si quis vero in omni officio Clericali DEO militans ab ebrietate se non abstinerit, secundum statutum sui ordinem competens in eum vindicta tribuatur. Concilium Veneticum can. 13. Ante omnia à Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum somes ac nutrix est, nec quis potest liberum corporis sui ac mentis habere.

bere judicium, cùm captus vino à sensu probetur alienus & proclivis ad vitium mente labefacta ducatur, ac plerumq; possit peccatum aut crimen dum nescit incurrire. Sed ignorantia talis non potest non subjacere pæna, quam ex voluntaria amentia manasse confiterit. Itaque, quemebrium suisse confiterit, ut ordo patitur, aut 30 dierum spacio à communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum esse supplicio. Idem statutum in Concilio Agathentii can. 41. Sic & in capitula i Episcoporum tom. 2. concil. Gall. cap. 14. Ut nullus ex sacerdotum numero ebrietatis vitium nutrit, nec alios cogat per suam iussionem inebriari. Et in Concilio Cabilonenii II. cap. 10. Ut sobrietatem sacerdotes teneant, & hanc habendam fidelibus prædicent, quia non potest liberè sobrietatem prædicare, qui se mero uogat ad alienationem mentis ingurgitat. Hoc & de comessationibus & de ceteris peccatis ad gastrimargiam pertinensibus servandum est.

V. Petrus Abbas Celensis lib. 3. epist. 10. graviter admonet Sacerdotem aliquem Anglicanum, ebriosum valde & quotidianis crapulis madentem. Idque dum facit, ebrietatis mala hunc in modum describit : Vitium ignobile & inter cetera vicia ignobilius, ebrietas. Ubi enim sensus ebrii? ubi reverentia in ebrio? ubi dignitas? Immemor est præteriti, futuri ignarus, præsentis nescius. Discretio confunditur, ratio hebetatur, sensus ligantur, mens ipsa sepelitur, Risus derisoribus exponit, magis se ipsum ridens. Ex hac vice rea radice surgit, vel potius serpit devastans totius religionis anima vigor et luxuria. Deniq; tanquam ex magnogurgite perditionis profiliunt non rara germina pestifera prævaricationis. Pes errat, labitur lingua, trepidat manus, labia tremunt, caligat visus, auditus surdecat. Adde his intrinsecus furias debachantes & miserum pectus miserabiliter lancinantes. O bone Vir, nonne videntur tibi haec principia moris, fomenta ignis aeterni, esca supplicii, illecebra damnationis? Ut igitur mortuum colubri evadat, fugienda est ebrietas. Muscipula venantium capitur, qui vel semel inebriatur. Lusus demonum est homo ebrius. Tanquam prostibulum vitiorum reputatur, quigula & ventris tyrannidi subjugatur. &c.

VI. De Episcopis specialiter statutum legitur in Concilio Remensi II. can. 18. Episcopi & DEI ministri non debent comessationibus & vinolentiis nimiis incumbere, sed considerent sententiam Domini dicentis : Attendite ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate. Moderatè enim cibum & necessarium potum sumant, ut juxta Apostolum sobrii sint, parati ad servitium Domini. Et in Concilio Turonensi I. can. 5. Episcopum non oportet nimium profusis incumbere conviviis, sed parco & moderato contentus sit cibo, ne videatur Domini abuti sententiā, dicentis : Attendite, ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate. Et quamdiu convivatur, potius sacra lectio ante mensam ejus recitetur, quam otiosa à susurrionibus resonent verba,

verba. Et in Concilio Aquisgranensi II. cap. 6. Sobrietatem verò, quam Apostolus Episcopo habendam docet, adeò nos eam secundum statutum, ut nullus sacerdotum ebrietatis depravatione se aut ministerium suum vilescere faciat, quo merito reprehensibilis videatur, quia legitimus ebrietatem dedecus esse cuig. Christiano sectari, quanto magis sacerdotibus? Unde Apostolus inquit: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Legitur & alibi, sic oportere Episcopum bibere, ut quasi non bibisse videatur. Quapropter deinceps quicunque hujus ordinis huic noxio vitio inserviens reprehensus fuerit, censuimus eum secundum statutum Canonicum, quicunque ebrietati deservit, aut desinat, aut deponatur.

VII. Omnim horum canonum àutoritatem superat Pauli Theologiae moralis, ex quâ illi nati fuerunt. Dum enim ille 1. Tim. III, 2. & 3. Episcopi mores & qualitates, quibus instructus esse debeat, describit, inter alia eum jubet esse ἡρώας, ἡ μὲν πάροντος, sobrium, quod alii reddunt vigilantem, & non vinorum aut vinolentum. Sunt autem conjunctæ virtutes sobrietas & vigilantia, quas propterea etiam combinavit Petrus 1. epist. V, 8. Sobrii estote & vigilate. Ebrietas autem obstat vigiliis, cordaque prægravat, Lusc. XXI, 34. Πάροντος autem non tantum significat eum, qui temulentus est, & vino obnoxius, μέντος alijs dictus, sed etiam qui ὑβριστής est, ferox scil. & ex vino ad injuriam & contumeliam inferendam proclivis. Πάροντα enī effēctum simul comprehendit temulentiz, ὑβριν scil. aut peccatum aut injuriam potius ex ebrietate natam & commissam. Hesychius: Πάροντα, η ἐπὶ τὸν ὕβριν, ηγί οἰαδῆτοε ἀμαρτία, ex vino na-scens injuria, contumelia, & quodcumque peccatum. Vitare ergo debet Episcopus temulantiam & ebrietatem, ut vigilare & diu noctuque Ecclesie suæ velut castra perlustrare queat, neve ex crapula alteri inferat injuriam.

IX. Hinc adeò factum, ut Clerici promiscuè omnes publicam ingredi tabernam, aut etiam ipsi exercere tales multis canonibus prohibiti sint. Canone Apostolico, uti vocatur, quinquagesimo quarto ita edicitur: Si quis clericus in cauponā comedens reprehensus fuerit, segregetur, praterquam si in publico diversorio in via propter necessitatem diverterit. Ratio est, uti commentatur Zonars, quia in cauponā ingredi demonstrat hoc agentes dishonestam vitam ducere: nego, tantum circa cibum potum, corruptos ipsiis mores esse, verū etiam circa omnem aliam vivendi consuetudinem. Nam cū promiscuè confluant in cauponā & dishonesti viri, & dishonestam mulieres, quiccum talibus conversatur, eorum turpitudinis expers non erit: mala nempe colloquia corrumpunt bonos mores. Auxit prohibitionem hanc Concilium Quinisextum in Trullo habitum can. 9. quod vetuit, ne ipse etiam Clericus aliquam habeat tabernam, in qua cauponariam exercere

cere velit professionem : Nulli licere Clerico cauponiam habere tabernam
Si ei enim in cauponam ingredi non est permisum, quanto magis & alii in ea
ministrare, & ea que non licet ipsi, tractare. Observavit hoc ipse etiam Julianus Apostata, cum gentilium superstitione resuscitare vellet, & vide-
ret, Christianorum religionem ex vita Episcoporum & reliquorum Cleri-
corum piâ & sanctâ magna quotidie capere incrementa, prohibuit & ipse,
ne flamines sui ad theatrum accedant, nec in tabernis bibant, nec artem ul-
lam aut opificium turpe ac probrosum exerceant, apud Sozomen. lib. V.
cap. 16.

IX. Illa adhuc pejor consuetudo in valuerat aliquando, quâ Clerici quic-
dam ex ipsis suis Ecclesiis tabernas faciebant, & in illis vinum vendebant. Discimus id ex canone Concilii Turonensis, quem recenset Regino Abbas
Prumiensis de eccles. disciplin. lib. 1. c. 58. Perlatum est *ad sanctam Syno-*
dum, quod quidam presbyteri in ecclesiis sibi commissis tabernas, quod nefas
est, constituant, ibi per caupones vinum vendant aut vendere permittant,
& ubi tantummodo orationes & verbum divinum DEI laus debuerit reso-
nare, ibi confessiones & ebrietates fiant, ibi risus & plausus & verbatur-
pia, ibi rixa & contentiones resultant, &c. Idem docet Riculfus Sueffio-
nensis Episcopus in capitulis sub num. 13. Illud quoq; summo per è caven-
*dum monemus, ut presbyteri vel clerici tabernas causâ convivandi non ade-
-ant, neq; in Ecclesiis vinum, exceptâ causâ necessitatis, vendere concedant; sed*
neq; vendentes aut ementes in ipsis Ecclesiis more convivantium immorari
permittant.

X. Videbatur autem consuetudo ista qualitercunque excusari posse
ex eo, quod ipsis etiam Episcopi admitterent convivia in Ecclesiis celebra-
ta eo sub colore, quod ista fierent in memoriam sanctorum, à quibus cibos
suos sanctificari putabant. Sed ipsum etiâ hoc prohibuit Ecclesia Africana,
postquam vidisset, nec justo id nisi fundamento, nec suis carere vitiis, sed in
raporiis plerumque degenerare. In codice canonum Ecclesiæ Africane,
qui quadragesimus secundus est, his conceptus est verbis : *Ut nulli Epi-*
scopio vel Clerici in Ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes hospitiorum
necessitate illic reficiant, populi etiam ab his modi conviviis, quantum fieri
potest, prohibeantur. Celebrabantur etiam ita agapæ, ut vocabantur, in
Ecclesiis, quæ nihil aliud erant, quam convivia, ut ita dicam charitativa,
Christiani enim ad sacrâ coenam accessuri cibus afferebant, ex quibus panis
& vinum, quantum satis erat, separabantur & accipiebantur ad coenæ do-
minicæ usum; de reliquis vero apparabatur convivium, cui accumbebant
nullo habito discrimine vivetes & egeni, ibique piis colloquiis & hymnis
se recreabant. Vid. Tertullian, apol. cap. 39. Zonaras ad Concilii Gangren.
can. II.

XI. Fru-

XI. Frugalem esse debere cœnam atque viētum Episcopi patet ex decreto Concilii Carthaginensis IV. cap. 17. Episcopus vitem sapelle etilem & mensam ac viētum pauperem habeat, & dignitatis sua autoritatem fidei & vita meritis quarat: hospitium quoq; non longè ab Ecclesia habeat. Ad eundem modum etiam convivia Episcopi instructa esse debere tradidit Eusebius Episcopus Romanus apud Ivonem Carnotensem decret. part. 13. cap. 75. Oportet Episcopum moderatis epulis contentum esse, suosq; convivias ad comedendum & potandum non urgere, quin potius semper sobrietatis prebeat exemplum. Removeantur ab ejus convivio cuncta turpitudinis argumenta, non ludicra spectacula, non acromatum vaniloquia, non fatuorum stultiloquia, non scurrilum admittantur prestigia. Adiut peregrini & pauperes, & debiles, qui de sacerdotali mensâ Christum benedicentes beneficium percipiunt. Recitetur sacra lectio, subsequatur vita vocis exhortatio, ut non tantum corporali cibo, in modo verbis spiritualis alimento, convivantes se refectos gratulentur, ut in omnibus honorificetur DEUS per Jesum Christum Dominum nostrum.

XII. Sed enim frustra erit hodiè, qui tam frugalem Episcopo præscribere velit viētum. Suo jam tempore Episcopos Urbis Romæ notavit Amianus Marcellinus Historicus inter gentiles celeberrimus, quod epulas tarent profisas, adeò ut eorum convivia regales superent mensas. Locutus est lib. 27. cap. 3. ubi tamen adhuc laudat antistites aliquos provinciales, quos tenuit as edendi potandiq; parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supericia humum spectantia, perpetuo numini verisq; ejus cultoribus ut puros commendent & verecundos. Postquam vero Episcopi Romani in ejusmodi luxum prolapsi delicate ac molliter vivere & ventrem curare coepi- runt, veriti haud fuerunt eorum exemplo etiam alii vitam otiosam, plenam ac refertam multi generis voluptatibus sectari. Apud Gratianum t. Ecclesie dist. 35. refertur ex Hieronymi commentario in Micheam insignis in hunc Episcoporum luxum invectiva. Ecclesie principes, qui delitiis afflunt & inter epulas atq; lascivias pudicitiam servare se credunt, propheticus sermo describit, quod ejiciendi sunt de spatiois domibus, lautisq; conviviis & multo labore epulis conquisis. Et si vis scire, quò rejiciendi sunt propter malas cogitationes & operas sua, evangelium lego, in tenebras scilicet extiores, ubi erit fletus & stridor dentium. Annon confusio & ignominia est, Jesum crucifixum pauperem & esurientem fastis praedicare corporibus? & jejuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaq; oraproferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed etiam conversationem & abstinentiam.

XIII. Jam olim apud Gentiles pontificum & pontificales cœnæ sumptuosas opiparasque significabant, ut ipatet ex Horatii lib. 2. Od. 14. in fin.

Et refert Macrobius lib. 3. *Saturnal.* vetustissimam Pontificis cœnam variis cupediis instruetam, & addit: *Ubi jam luxuria tunc accusaretur, quando tot rebus farta fuit cena pontificum? ipsa verò edulium genera quam dictu turpia? &c.* Nihil hodiè differunt Pontifices nostri ab illis gentilium, quos imò in quamplurimis ad luxum pertinentibus superasse videntur, *Cereales cœnas dant, ut cum Plauto loquar in Menachmis a. 1. s. 1.* ita mensa extruunt, tantasq[ue] struices concinnant patinarias, ut standum sit in lecto, siquid de summo petere velis. Quin et si quis velit parciūs & tenuius vivere, verendum ei est, ne in contemptum abeat honesta ista frugalitas, & ludibrio fiat populo sibi subiecto ad luxum ab antecessoribus usitatum adlueto. Gregorius Nazianenus in oratione, quā dimissionem petit, exprobratum libi conqueritur, quod nec mensa lauta & opipara, nec veste magnifica sit usus, nec splendidē in publicum prodierit, nec ad eos, à quibus conveniebatur, gravitatem & fastum adhibuerit. Idque factum eo jam tempore, quo Ecclesia Christiana Imperatorum beneficio vix tūm securitatempūblicam impetravit, & caput extollere cœpit.

XIV. Successu temporis nata fuit inter dapes Regias & Episcopales aut pontificales æmulatio quædam, tanto quidem Episcopaliū cum successu, ut unum illud convivium, quod Archiepiscopus Cantuariensis Gulielmus Warhamus tantopere ab Erasto in adag. chiliad. 4. cent. s. n. 1. laudatus, inaugurationis luce die exhibuit, judicio Francisci Godwini in ipsius vitâ, multis Regibus potuerit suffecisse. Spectacula nonnulla, quæ in singulis patinis edita fuerunt, recenset ex collectione Matthæi Parckeri Johannes Josselinus in dicti Warhami vitâ, quæ legenti miraculo esse poterunt. Præiverat autem simili convivio Regio Archiepiscopus Eboracen sis Georgius Nevill, quod ex antiquis schedis describit idem Franciscus Godwinus in ejus vit. recensetque non nomina tantum & numerum Convivarum, sed & obsonia ipsa & apparatum plusquam Regium. Adeò nihil omnino in pontificalibus epulis præparandis concedere voluerunt gentilibus Christiani Episcopi, Apostolorum successores, sed in luxu hoc adorando Apostolis prorlus dissimiles.

XV. Episcopi alii et si tantos sumptus & impensas facere nequeant, plurimi tamen eorum opiparè admodum & hilarem in modum epulantur, atque sua magnificè splendideque ornant convivia. Alii cupiditate vini ita flagrant, ut nullis admonitionibus, ne superiorum quidem, ad sobrietatem revocari queant. Scriperat Gregorius Magnus lib. 2. epist. 14. ad Natalem Episcopum Salonitanum: *Multis ab urbe tua venientibus frater charissime didici, pastor ali curâ derelictâ, solis te convivis occupatum.* Quid ad hæc Natalis? Ut i ex ejusdem Gregorii epist. 37. apparet, videtur is Gregorio superciliosè & cum exagitatione quâdam respondisse, suamque hanc convi-

convivandi frequentiam variis exemplis ex sacro Codice defendisse. Ea singula discutit, & in genere mentem suam de conviviis hunc in modum exponit: *Convivia autem communia, quae ex intentione impendenda charitatis sunt, recte Sanctitas vestra in suis epistolis laudat. Sed tamensciendum est, quia rursum ex charitate veraciter prodeunt, cum in eis nulla absentium vita moratur, nullus ex irrisione reprobetur. & nec inanes in eis secularium negotiorum fabula, sed verbâ sacrâ lectio nis audiuntur: cum non plus quam neceſſe est servitur corpori, sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercenda virtutis habeatur. Hec itaque si vos in vestris conviviis agitum, abstinentiam fateor, magistri estis.* Refert Gratianus c. multis, &c. seq. dist. 44.

XVI. Karoli Magni ævo vixit Bathuricus Episcopus Ratisbonensis, ad quem scripta extat præfatio veteris cuiusdam commentatoris in Psalmos. In ea describitur luxus & desidia Episcoporum quorundam, quod propter perpetuas comptiones neque cultui quidem divino vacare soleant, sed officium suum tumultuarie & præcipitanter agant, imò nec agant quidem cum devotione debitâ: Verba sunt: *Alii verò, qui, quod pudet dicere, etiam Episcopi, totâ die conviviis & poculis vacantes & penè usq. in noctis medium vel usq. ad gallorum cantum aut eo amplius diversis student potionibus suscitare voluntati, isti tales, magis studentes hominibus placere, quam DEO, prius quam dormitum eant, nocturnas vigilias desidiosè persolventes, stratus mox decubant, donec iterum tempus manducandi & bibendi redeat. Surgentes verò dum sè vestibus induunt, diurna peragunt officia, putantes sibi sufficiere posse, si saltem quoquo modo illa decantent.*

XVII. De Salonio Ebredunensi & Sagittario Vapengensi Episcopis refert Gregorius Turonensis lib. 5. c. 21. omnibus flagitiis vitam inquinatam egisse, & quanquam resipuerint aliquando, ab Rege si coerciti fuisserint, rediisse tamen illico ad mores pristinos, nec finem fecisse scelerum & flagitorum. Inter alia dicitur eorum his verbis describit: *Ita plerumq. noctes epulando atq. bibendo ducebant, ut clericis matutinas in Ecclesiâ celebrantibus hi pocula poscerent & vina libarent. Nulla prorsus de DEO erat mentio, nullus omnino cursus memoria habebatur. Renidente aurora surgentes à cœna, mollibus se indumentis operientes, somno vinoq. sepulti, usq. ad horam diei tertiam dormiebant. Sed nec mulieres deerant, cum quibus poluerentur. Exurgentis igitur abluti balneis ad convivium discumberbant, de quo vespere surgentes, cœna inhiabant usq. ad illud lucis tempus quod superius diximus.*

CAP.

CAP. VI.

De prudentia Episcopi.

I.

Rudentem oportet esse Episcopum, inquit Apostolus 1. Tim. III. 2. *προφόρος*. Quod vocabulum, et si diversimodè explicetur per interpres, placet tamen id nunc cum Vulgata de prudentiâ Ecclesiastica accipere, quâ scil. optimè judicat Episcopus, quid Ecclesiæ suæ & singulis in eâ membris conducat, quâve ratione quod bonum est, conservari, quod corruptum, emendari, quodque damnosum, rejici & expelli facile queat. Sic ut autem ex morali doctrinâ constat, sine prudentiâ nullam omnino virtutem moralem consistere posse, & nec ipsam etiam prudentiam sine virtute morali: ita certum est, etiam in Ecclesiâ prudentiam Episcopi plures alias virtutes sibi conjunctas habere debere, non tantum ut ipse ex eorum complexu exemplum præbeat, quod sequantur subiecti, quisque pro suâ conditione, sed ut ipse etiam judicare queat, quâ ratione salus Ecclesiæ suæ spiritualis promoveri commodè queat. Judicium autem tale, præsertim, quale exigitur, confirmatum, consistere nullo modo potest cum voluntate & appetitu nondum satis subacto, & in virtutibus reliquis exercitato, sed necesse est, ut concurrant omnia, quæ ad salutem propositam obtinendum facere queant.

II. Episcopo res est cum diversi generis hominibus, cum principibus, cum persecutoribus, cum hæreticis, cum obfessis, cum facinorosis, & emendationem omnem respuentibus, cum desperantibus, cum pœnitentibus, cum aliis pluribus variè in conscientiâ suâ afflictis, quos omnes eodem modo tractare, & eandem omnibus applicare medicinam, ipsa sana ratio prohibet. Jubet Paulus 2. Timoth. II. 15. ἐρθετο μάγι τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, recte tractare verbum veritatis, juxta singulorum, uti glossa interlinearis explicat, competentiam, & secundum uniuscujusque qualitatem vera & auditentibus utilia proponere, sapientibus altiora, parvulis lac & planiora distri-
buere, diligenter spectare, quid ferat auditorum captus, & naturalis cuiusque dispository. In his talibus exemplum præbuit ipse Apostolus, dum ad Corinthios suos 1. ep. III. 1. scribit: *Et ego fratres nō potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulus in Christo: Lac vobis potū dedi, non escam, nondum enim poteratus: sed nec nunc quidem poteritis, adhuc enim carnales estis.* Et ad Hebra. V. 11. seq. De quo nobis grandis sermo & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Et enim cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut vos docamini, quæ sunt elementa exordii sermonum DEI & facti estis, quibus lade-

opus

opus sit, non solito cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermone justitiae, parvulus enim est. Perfectorum autem est solitus cibus eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

III. Alter itaque agendum cum iis, qui in Christiana fide infantes adhuc sunt, nec nisi latente nutruntur, aliter cum adultis, & qui solidiori cibo adsuetum sunt: aliter cum protervis atque contumacibus, aliter cum illis, qui teneroris sunt conscientiae & fleti facile possunt: rursus aliter cum illis, qui prospera rerum fortuna utuntur, aliter cum afflitis & moere consumptis. Sic & cum eruditis aliter, & qui facilè admittunt informationem; aliter cum imperitis & nullâ cognitione rerum imbutis. Alter cum illis, qui de salute suâ parum solliciti sunt, seq; ideo tantum vivere putant, ut vivant; aliter vero cum dubitantibus & cum anxietate quâdam vitam agentibus. Et quis omnes diversarum mentium figurâs recensere sub uno indice commodè poterit? cum ad varietatem ingeniorum dispar etiam & inæquabilis sit varietas de gratia divina conceptuum, & opiniorum de sua cum Deo reconciliatione, & taceam jam, nec eundem semper omnibus circa fidem esse consensum, sed in errores sapientia, eosque admodum periculosos, prolabi incautos de rebus fidei disceptatores. Quibus omnibus non difficile tantum est obviâ ire, eosque ad sanam mentem reducere, sed etiam, ut id fiat, prudentiâ opus est plusquam civili, ad gubernandam Rempubl. ceteroquin necessariâ.

IV. Eleganter hâc de re Gregorius Nazianzenus apol. I. Alii laus profest, alii reprehensio, alios cohortatio ad officium dicit, alios objurgatio. Atq; hec rursus alios, si palam arguantur, alios si remotis arbitris increpantur. Sunt enim, qui nihil curant privatis castigationes, publicâ autem reprehensione emendantur; sunt rursus, qui liberius reprehensi pudorem omnem absolvunt, contraq; privatis castigationibus meliores sunt, itaq; quos vicem suam dolore perspiciunt, hoc munere viciissim rependunt, ut eorum admonitionibus pareant. Sunt quorum levissima errata non sunt dissimulanda, qui nimis eò, quod peccata sua nemini cognita fore putant, quandoquidem moluntur, prudentia calliditatisq; laudem sibi arrogant insolenter; contra in aliis ad nonnulla connivere satius ne aliqui ipsi nimium crebris objurgationum aculeis confixi & obruti vel ad desperationem adigantur, vel pudorem excutiant. Quin etiam cum nonnullis ita agendum, ut irati hominis & contemnitis, ac de salute eorum desperantis, speciem pœnae feras, cum tamen nec ipsis irascis, nec contemnis, nec pro perditis & deploratis habeas, quorum videlicet natura id exigit; alii rursus lenitate & humilitate curandi; alios vincere, alii cedere plerumq; utilius fuerit.

V. Sic etiam Gregorius Magnus homil. II. in Ezechiel. Verecundæ mentes, si quas forte culpas admiserint, leniter arguenda, quia si asperius increpen-

crepentur, franguntur potius, quam eradiantur. Atq. contra, mentes aspera & impudentes, si increpata leniter fuerint, ad maiores culpas ipsa lenitate provocantur. Et porro. Sermo predictoris debet cum auditorum qualitate formari. Quid mirum, si hoc verbi DEI erogator faciat cum agricola, qui semina in terram mittit, prius terra qualitatem pravidet, quibus seminibus apta videtur, & postquam terrae qualitatem viderit, semina adspexit. Et in pastor. prefat. Sæpe aliis officiunt, que alii proficiunt: herba & qua hæc animalia nutriunt, alia occidunt: medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit, & panis, qui vitam fortius roborat, parvulorum necat.

VI. Id probè considerantes Epitopi in Synodo Quintiltextâ in Trullo habitâ hoc ediderunt decretum can. 102. Oportet eos, quis obvendi & ligandi potestatem à DEO accepere, peccati qualitatem considerare, & ejus, qui peccavit ad conversionem promptius studium, & sic morte convenientem afferre medicinam: ne si in utroq. immoderatione utatur, ab ejus, qui laborat, salute excidat. Non enim simplex est morbus peccati, sed varius & multifloris, & multas incommodi propagines germinans: ex quibus malum multum diffunditur, & ulterius progreditur, donec viribus medentis reprimitur. Quare qui medicina scientiam in spiritu proficitur, oportet eum primum ejus qui peccavit affectionem considerare, & sive vergat ad sanitatem, sive contra propriis moribus provocet in se morbum adipicere, & quomodo ejus, qui intercedit, vita rationis curam gerat, & si artifici non reluctatur, & ulti anima auget per impositorum medicamentorum adjectionem, sic quoq. misericordiam, prout dignus est, impetriri. Omnem enim rationem init DEUS, ut cui pastoralis traditus est principatus, ut errantem ovem reducat, & ei, qui est a serpente vulnerata, medeat, & neq. per desperationis precipita impellat, nec ad vitæ dissolutionem & contemptum frenare relaxet: sed alia quidem omnino ratione sive per acriora & adstringentia sive per molliora & leiora medicamenta affectioni resistat, & ad ulceris obduracionem admittatur, fructus pænitentia examinans, & sapienter dispensans & gubernans hominem, qui ad superiorum illuminationem vocatur, &c.

VII. Et in his omnibus probè discernendis justeque applicandis remediis insigni opus est prudentia, maximè si tam contumax fuerit malum, ut non nisi excisione membra curari queat. Docuit enim omnium seculorum experientia, nullam propemodum majorem cladem illatam fuisse paci & tranquilliti Ecclesiasticæ, atque per excommunicationem, uti vocant, sicuti ea vel ab incompetente judice ratione fori, vel non canonice, ratione meritorum aut processus, vel intempestivè, non sufficienter examinatis circumstantiis loci, temporis, personarum, & alii qualitatibus decreta & executioni mandata fuerit. Imò vero sola quandoque frequentia censuratum, si nimium ex revererit, contemptum peperit, & hinc constituit, non satis

satis prudenter eas adhibitas fuisse. Et hæc ut evitarentur incommoda, neve plus noceret, quām prodesset excommunicatio, plurimū sententias & suffragia exquirere solebant Episcopi, qui cautè & circumspectè procedere volebant, cùm grave omnino sit, spoliare aliquem communī beneficio, & exclūdere à conversatione & charitate Christianā.

IX. Quin & contingit aliquando, ut, et si circumstantiæ omnes & singulæ probè attendantur, & in consilium adhibeantur. Viri prudentissimi, plurimū tamen disceptetur, & sèpè parum inter se convenient deliberaentes, quoisque decert. i. debeat censuræ istæ Ecclesiasticæ. Plurimos ex ipsis Orthodoxis pupugit excommunicatio ab Alexandro Alexandriæ Episcopo adversus Arium pronunciata, nec pauci fuerunt, qui anathema ei dicere ideò detrectarunt, quod in modo procedendi nimis præcipitanter actum, & intempestivè admodum fulmen istud evibratum videretur. Unde scilicet in partes Ecclesia multi pro Ario stabant, multi contra eum. Et alii quidem scriplerunt Alexandrum, ne Arium ejusque lectorates in Ecclesiam admitteret, nisi prius opinionem suam abjecissent; alii vero, ne id faceret, obsecrabant. Sozomen lib. 1. cap. 15. Fuerunt namque tum temporis quamplurimi, qui modestiam desiderarunt in Alexandro, aliis è contrario celerem ejus processum laudantibus.

IX. Sanè nullibi major requiritur prudentia, quām si de hæresi dignoscendâ & extirpandâ abortum fuerit negocium. Uti enim diversimodè se habent dogmata & questiones Theologicæ, alii scilicet & immedia-
tè, aliis indirectè mediætè & reduc[t]ivè fundamentum fidei petentibus, aliis nec per se, nec per necessariam consequentiam salutem hominis concer-
nentibus: ita non omnis ille, qui à nobis quocunque modo in religionis
negocio dissentit, illicet haberi debet pro hæretico. Sed & in illis ipsis articulis, qui fundamentum fidei constituunt, si quis erraverit, caute procedendum est, antequam de ejus excisione sententia feratur, cùm plus mali inde fortè expectari queat, quām boni. Sequenda ubique est regula Au-
gustini, qui epist. 50. ad Bonifac. docet, in hujusmodi causis, ubi per graves
dissensionum fissuras non huius aut illius hominis est periculum, sed po-
pulorum strages jacent, detrahendum esse aliquid severitati, ut majoribus
malis lanantis charitas sincera subveniat.

X. Connivendi illa & permittendi ratio *diuropia* dicta fuit olim, h. e. dispensatio, indulgentia, moderatio & æquitas, quā receditur ab legis rigore, nec observatur *adæquatio*. De qua plurima jam dixi supra, cùm de jure dispensandi agendum esset, quæ hic repetenda sunt. Ita, cùm hæreses di-
versi generis pullularent per diversas partes mundi (verba sunt Ieronis Car-
notensis epist. 236.) ut Catholicæ territi severitate sententia hæretorum se-
ductiones caverent, severissime præceptum est, ut revertentes ab hæresi vel
Clerici-

Clerici non fierent, vel Clerici non manerent. Pro cuius rigore decreti cum Ecclesia maxima damna patet, prudens discretio religiosorum voluit & docuit mutandam esse sententiam, & ab heresi revertentes & Catholicam unitatem profentes, fraternè suscepit, & in honoribus suis manere concessit: iudicans melius esse, ut fieret aliquid vulnus in cortice matris arboris, quod charitas sanaret, quam Ecclesia de omnibus, quos posset sua membra non colligeret. Sed quantum in his talibus erratum sapè fuerit, quantave subinde obniuum rigorem extiterint schismata, variè docet historia Ecclesiastica.

XI. Non opus est, ut multa hīc colligamus exempla, quæ ad præsentem materiam facere possunt, quandoquidem nostri etiam seculi historiæ talia subministrare solent, ex quibus vel prudentiam adhibitam, vel imprudentiam cornissam, vel calliditatem suppositam animadvertere liceat. Est enim verò tam tenera res religio, ut si in levissima aliqua re peccatum fuerit, magna quandoque inde resultent dama & incommoda nullà ratione deinceps evitanda. Unicum addam extantioris imprudentiæ exemplum, quod nullo modo excusare potuit. Maruthas Episcopus Mesopotamie ab Imperatore Romano ad Regem Persarum Isdigerdem ut legatus missus fuerat. Qui cùm apud Regem in singulariæ esset gratiâ, & Magorum sibi resistentium machinationes variè repressisset, facile impetravit, ut ubique vellet, Ecclesiæ, in quibus Christiana religio coleretur, ædificaret. Ab eo tempore res optimè successit, & magna quotidie cepit incrementa fides orthodoxa. Sed Isdigerde ex vivis sublato alia longè extitit rerum facies. Qui ei successit, sive Isdigerdis & ipse nomen habuit, uti eum vocat Theodoritus, sive Vararanus dictus fuit, uti eum nominat Socrates, Ecclesiæ gentis tunc bellum intulit, sunt verba Theodoriti lib. 5. cap. 39. occasione inde arreptâ. Erat quidam Episcopus, nomine Abda, multis virtutis generibus ornatus. Hic zelo immoderato impulsus, Pyreum destruit. Ita Persæ vocant templa igni consecrata: ignem enim Deum esse arbitrantur. Rex eā de re per Magos certior factus, Abdam ad se evocavit. Ac primum quidem leniter id facinus reprehendit, jussitque ut Pyreum ædificaret. Sed cùm Abda contradiceret, seque id facturum negaret, Rex cunctas Ecclesiæ se destrueturum minatus est. Sed & minas suas ad effectum perduxit. Etenim divino illo Viro prius trucidari iusto, Ecclesiæ solo æquari præcepit.

XII. Hoc fuit initium immensæ illius & truculentæ atque sævissimæ persecutionis, quæ ultra triginta annos miserè & per varia atque inaudita plane tormentorum genera rem Christianam in Persia affixit. Lapis erit & stipes, qui, ubi legerit crudelis istius lanienæ exempla, non perhorrelcat, cuiusve animus ad ejus recordationem non stupeat & frangatur. Et hujus calamitatis unica causa fuit immoderatus & intempestivus Episcopi istius zelus.

zelus. Præstat utique idolatriam, quæ excidi non potest, tolerare, quam everlas videre Ecclesiæ, aut persecutionibus eas subjicere. Rectè de hoc Abdæ faſto judicat Theodoritus d. l. Ego verò, inquit, Pyreum quidem intempestivè ab Episcopo deſtructum fuisse fateor. Neg. enim diuinus Apostolus, cum Athenas veniſſet, & urbem ſimulacrorum cultui deditam eſſe vidieſſet, aram ullam Deorum, qui ab iis colebantur, evertit: ſed illorum errorem verbiſ coarquit, & veritatem demonstravit. Quod autem eversum fanum minimè iſtauerauit, ſed mori maluerit, quām id præſtare, id equidem admīrator, & coronis dignum judico. Igni enim templum extruere non minus eſſe censeo, quām eundem adorare.

CAP. VII.

De Episcopi habitu decenti.

I.

D Aulus Apostolus 1. Tim. III, 2. Episcopum vult eſſe nō opus, h. e. benè compositum, honestum, gravem, ſive ut Theodoritus notat, ornatum & locutione, & habitu, & adſpectu, & inceſſu, ut etiam per corpus apparet animæ moderatio. Opponitur id vocabulum habitui laſciviam praeferenti, item ruficitati. Cumq[ue] gravitas non in moribus tantum & gestibus ſeſe conficienda in præbeat, ſed vel maximè in veſtimen‐tis, cum virum gravem haudquaquam deceant veſtes veſicolores & deli‐catæ, coniſtat, inde leges Ecclesiasticæ utrumque gravitatis ſpeciem Cle‐ricis obſervandam præſcribunt. In Concilio Carthaginienſi IV. can 45. apud Gratianum dīſ. 41. in fin. tale igitur decretum: Clericus professionem ſuam & in habitu & in inceſſu probet: & nec veſtibus, nec calceamentis deco‐ram querat. Decorem, h. e. elegantiam affeſtatè nimis & delicate excul‐tam. Ornatum enim, qui ſanctitatem decet, nulla omnino prohibuit lex Ecclesiastica. Nec affectatæ ſordes, inquit Hieronymus ad Nepotian. nec exquifite delicia laudes parunt.

II. Non parvi certè momenti eſt, in gestibus dignitatem aliquam fer‐vare poſſe, quæ tacendo loquatur, & quaſi mandando in ſuī admirationem & reverentiam auditores & ſpectatores conſtringat. Quippe non mārus ſolum, ut ait Quintilianus tb. 11. cap. ult. ſed nutus etiam declarant noſtrām voluntatem, & in mutis pro ſermonē ſunt, & ſalutatio frequenter ſine voce intelligitur atq[ue] afficit, & ex vultu progreſſu perſpicitur habitus animorum, & animalium quoq[ue] ſermonē carentium ira, letitia, adulatio ex oculis & qui‐busdam aliis corporis signis deprehenditur, &c. Optimè autor Ecclesiastici XIX, 26. 27. Ex viſu cognoscitur Vir, & ab occuſu faciei cognoscitur ſenſa‐tus.

f 3

tus. Amictus corporis & risus denium , & ingressus hominis enunciant de illo. Caveat ergo sibi Episcopus , ne ex vultu , ex gestibus , ex incessu , & moribus levitas aliqua sele exferat , aut vanitas , quæ sanctum istud , quod gerit , officium prostituat. Gravem se ubique & veluti di vinum se exhibeat , ut non in sermonetantum & sententiâ , sed in nutu etiam & gestibus singularis eluceat auctoritas , quam pro re natâ comitate condiat & humilitate. Illorum Episcoporum vitam detestabilem putes , inquit Petrus Blesens. epist. 15. quorum incessus erectâ cervice , quorum facies torva , truces oculi , mœnia terribiles , dominantes in clero , non forma facti regis in populo , quorum Deus venter est. quorum vita in morte sepulta est , mendaces , vaniloqui & superbi , socii furum , non Collegæ Petri , sed Simonis , non Christi discipuli , sed Neronis , &c.

III. Laudat Nonnechium Episcopum Apollinaris Sidonius lib. 8. epist. 13. à multis virtutibus , quæ tanto officio dignum faciunt. Multa , inquit , in te genera virtutum , Papa beatissime , munere superno congesta gaudemus. Siquidem agere narraris sine superbâ nobilem , sine invidiâ potentem , sine superstitione religiosum , sine jaetantiâ literatum , sine ineptiâ gravem sine studio facetum , sine asperitate constantem , sine popularitate communem. Præterea his hoc præstantissimum bonis fama superaggerat , quod te afferit tot gratias fastigatissima caritatis arce transcendere. Et lib. 7. epist. 4. ad Fontejum Episcopum scribit , quantas ejus laudes recentuerit & cumulaverit Vindicius ad eum missus : Prædicat , inquit , sanctas , melleas , & floridas , quæ procedunt de temperatâ communione , blanditas : nec tamen ex hoc quicquam pontificali deperire personæ : quod sacerdotii fastigium non frangitis comitate , sed fleetis.

IV. Magnum Batilium sine tristitia gravitatem præse tulisse Gregorius Nazianzenus in ejus vitâ prodit. Et de Cypriano Carthaginensi Episcopo , totius Africæ primate refert Pontius ejus Diaconus , quod ei zravis fuerit vultus & latus , nec severitas tristis , nec comitas nimia , sed admixta utring temperies : ut esset ambiguum , vereri plus an diligi mereretur , nisi & quod vereri & diligi merebatur. Ipsi autem conversationi etiam mores externi convenire debent , & incessus , itemque vestitus , omnia que alia , quæ virum gravem decent. Tanta , inquit Hieronymus ad Fabiolam , debet esse scientia & eruditio pontificis DEI , ut & gressus ejus & motus , & universa vocalia sint. Veritatem mente concipiatur , & toto cum habitu resonet & ornauit : ut quicquid agit , quicquid loquitur , sit doctrina populorum : absq; tintinnabulis enim , diversis coloribus & gemmis floribus q; virtutum nec sancta ingredi potest , nec nomen Antistitus possidere. Ad lensum mysticum deflectit Hieronymus , & quæ in veteri Testamento præscriptæ sunt Sacerdotibus vestes versicolores , eas ad varietatem virtutum Episcopo necessariam applicat , neque intentio ejus est , Episcopos variâ veste induitos incedere debere.

V. Plu-

V. Plutimi enim etiamnum extant canones, quibus de clericorum vestitu, ne in luxum ille diffueret, decretum aliquoties fuit. In Concilio Agathensi statutum legitur: *Clerici, qui comam nutriunt, ab archidiacono, etiam si noluerint, inviti detondeantur, vestimenta etiam vel calciamenta eis, nisi quae religionem deceant, uti aut habere non liceat.* Idem repetitum additum si null'unctione in Concilio Matilconensi I. can. 5. Ut nullus Clericus sagum aut vestimenta aut calceamenta secularia, nisi quod religionem deceat, induere presumat. Quod si post hanc definitionem Clericus aut cum indecenti ueste, aut cum armis inventus fuerit, a Seniore ita coeretur, ut triginta dierum conclusione detentus aqua tannum & modico pane diebus singulis sustentetur. Similiter decretum fuit in Concilio Romano anno DCCXLVII. can. 3. Ut Episcopus, presbyter & diaconus seculari indumento minimè utantur, nisi ut condecerit tunica sacerdotali; sed nec dum ambulaverit in civitate, aut in viâ aut in plateis sine operimento presumat ambulare, præter si in itinere longo ambulaverit. Sed quod hic de itinere exceptum fuit, videtur sustulisse Concilium Quinilexturn in Trullo habitum can. 27. Nullus eorum, qui in Cleri catalogum relati sunt, uestem sibi non convenientem induat, neg. in civitate degens, neg. iter ingrediens, sed utatur uestibus, quæ antehac ius, qui in clerum relatis sunt, attributa fuere.

VI. Sed enim parum a Clericis observatos fuisse canones istos, & cultum habitumque minus convenientem subinde eis placuisse argumento esse potest, quod in Synodo Nicæna II. quam Oecumenicam statuant Græci can. 16. decretum legitur: *Omnis luxus & ornatus corporeus est a sacerdotali ordine & statu alienus.* Episcopos ergo vel Clericos, qui se splendidis & insignibus uestibus exornant, se corriger oportet, si au-temporaneant, pœni coercent, similiter & eos, qui sunt unguentis delubri. Quoniam autem radix acerbitas sursum pullulans Catholica Ecclesia fuit inquinamentum Christianos scilicet accusantium heresis, & qui eam suscep- runt, non solum imaginum picturas aversati sunt, sed omnium etiam pietatem ac religionem extruserunt, nos qui pie & honeste vivunt, odio habentes, & in iis impletum fuit, quod scriptum est: abominatio peccatori religio & verus DEI cultus. Si inventi itaq. fuerint nonnulli eos irridentes, qui vilem & modestum amictum indui sunt, pœna corriganter. A superioribus enim usq. temporibus omnis vir sacratus cum moderato & honesto indumento versabatur. Quicquid enim non propter usum, sed ostentatorum ornatum assumitur, in luxus reprehensionem incurrit, ut ait magnus Basilius. Sed nec ex clericis texturis variatum quis umentum habebat, neg. in umentorum simbris adiecta erant altemi coloris additamenta. Ex divina enim lingua audierunt, quod, qui mollibus uestiuntur, in adibus Regum sunt.

VII. Theodorus Balsamo in interpretatione hujus canonis mentionem

nem facit nonnullorum, qui, ut fraudem facerent legi, suęque in vestitu indulgere possent libidini, distinctionem quandā, quā ab obligatione canonis liberos se esse dicerent, excogitarunt, atque eam intentioni statuentium planè contrariam esse ostendit. *Cum accusarentur, inquit, quidam Clerici splendide induiti, qui uestes Samittas dictas gestabant, que non solum diversi coloris antepannas seu fimbrias habebant, sed etiam auro intexta, præterea autem & sumptuosas aureas literas, dicebant quidam, editum esse canonem propter eam, que tunc erat in Ecclesiis, rerum confusione & multam Clericorum à pietate alienationem;* hodiè autem non habere locum canonem, quandoquidem DEI gratia absoluta est Ecclesiastica constitutio & pietas, & ad DEI honorem clerici cum uestibus splendidioribus versantur: audiverunt autem se non recte dicere. *Est enim canon universalis, & quae in eo scripta sunt, debent in secula seculorum observari, & vim suam obtinere:* qui verò præter eum vitam instituunt, recte punientur, nisi corrigantur.

VIII. Videntur autem Clerici quidam delicatores omnibus temporibus, uti etiamnum fieri quandoque solct, ab Laicorum uestitu non multum dilcrepare voluisse; atque uti hi variant sæpè, novasque quotidie excogitant formas, sic etiam illos imitatione quadam à pristina simplicitate multis modis recessisse. Idque est, quod maximè reprehendit Concilium Constantiense sessione 43. Inter cæteros prælatorum & Clericorum excessus hoc maxime inolevit, quod spretā in uestibus formā Ecclesiastica honestatis plurimi delectantur esse deformes, & cupiunt Laicis conformari, quodq; mente gerunt, uestitu consententur. Unde præter cetera, quæ circa uestes, tonsuram & uestis Clericorum tam in formis, quam in coloribus, atq; comam seu capillos vi- ramq; & honestatem Clericorum jura statuunt, & qua nimium collapsasunt, tam in secularibus quam in regularibus sacro approbante Concilio innovamus & præcipimus diligentius observare. Illum specialiter abusum, eodem approbante Concilio, innovamus & præcipimus diligentius observari: illum specialiter abusum, eodem approbante Concilio, decernimus penitus abolen- dum, quod in quibusdā partibus nonnulli Clerici, & persona Ecclesiastica seculares & regulares etiam, quod magis execramur, prælati Ecclesiarum, manicas ad cubitum pendentes, & longas cum magnâ superfluitate uestes etiam fissas retro & in lateribus cum fodraturi ultra oram excedentibus etiam in fissuris deferunt, & cum talibus in Ecclesiis cum superpelliceis ac aliis uestibus ad cul- tum & officium Ecclesiasticum ordinatis, etiam intra Ecclesias ipsas, in quibus beneficiati existunt, non verentur divinis officiis interesse. Hanc uestium deformitatem in quibuscumq; personis Ecclesiasticis reprobamus ac usum ta- lium inhibemus, &c.

IX. Præterquam autem, quod etiam Laicis scandalo esse soleat ista talis fæcerdotum in cultu habituque vanitas, quod observatum fuit in Con-

Concilio Melfitano can. 13. Ut omnia scandala, omnesq; occasionses Laicis subrabantur, scissis vestibus Clericos abuti ulterius prohibemus, & ne pomposis induantur exuvias, admonemus. Ipsum etiam ornatus & munditiae nimium studium, quemcunque id teneat, tantum abest, ut ornamentum det, ut potius verendum sit, ne nimiâ accuratione in fordes degeneret virum gravem parum decentes. Paradoxum id videri posset, nisi eleganti commentario dudum id exposuisset Johannes Sarisberiensis Episcopus Carnotensis lib. 8. de nug. curial. cap. 12. Est & illa voluptas, inquit, *in vitro* gravi notabilis ex causâ luxuria, qua ornatum suum in pretio vestium, aut colore, aut forma, aut usus novitate consistere opinatur. — — Alter solis lumenis bruma horrores excludit, & dum omnia gelu constricta rigent, tenui sudai in cyclade, & illius delicias etiam bombicinus urit pannus, aut premit. Hic capâ tunicatio[n]e, densatis pessibus & epitogis, chlamydi penulam superducit, & quasi conglebatu[s] in orbem rotulari, quam incedere magis idoneus est. Ille nunc utitur penula, nunc campestri, id solum agens, ut alius dissimilis habeat. Ille tantas exquisiti ornatu[s] affectat munditias, ut nimo splendore cultu[s] operosi, ad fordes videatur accedere. Quisquid enim dedecet, & quodammodo polluit, aut potius expellit honestatem, fordidum est, & habendum in foribus, &c.

X. Perstringit Episcopos Romanos Ammianus Marcellinus homo Ethnicus lib. 27. quod procedant vehiculis insidentes circumspecte vestiti, & porrò laudat Episcopos quosdam provinciales, quos tenuitas edendi poterat, parcissimè, vilitas etiam indumentorum & supercilia humum spectantia perpetuo numini verisq; ejus cultoribus ut puros commendent & verecundos. Talis fuit Martinus Episcopus Turonensis, qui in Episcopatu idem constantissimè perseveravit, qui prius fuerat, eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat, uti de eo scribit Sulpitius Severus in vita S. Martini. Tales fuerunt alii quamplurimi sub initium nascentis Ecclesiæ, qui dedecori sibi esse putarunt, inter tot pauperes, qui quotidie suam opem implorarent, oblationes fidelium si in alios & proprios usus verterent. Fideles sumus, inquit Origenes tr. 31. in Matth. pariter & prudentes, ad dispensandos Ecclesiæ redditus. Fideles quidem, ut non devoremus, quæ sunt viduarum, & ut memores sumus pauperum, & occasionem accipientes ex eo, quod scriptum est. Dominus constituit iis, qui Evangelium prædicant, de Evangelio vivere, amplius quam amus cibo simplici & necessariis, ut ne amplius teneamus nobis, quam demus esfuriens fratibus, & siientibus atque nudis, & eis qui necessitatem patiuntur in secularibus curis. Prudentes autem, ut unicuiq; secundum dignitatem unusquisque subministremus. Noluit Origenes, plus sibi sumere debere prælatum Ecclesiæ, nisi quantum pauper alius acceperit, victum solum, & vestitum æ purè necessaria.

XI. An-

g

XI. Antiquissimis & primis Ecclesiæ temporibus pallium & tunica philosophorum erat habitus. Eo etiam utebantur Christiani & maximè illi, qui ad strictiorem vitam colebant, uti dicimus ex Tertulliani lib. de pallio, quem propterea vocat *super omnes exuvias & poplos angustum vestem, super omnes apices & titulos sacrum suggestum.* At mutati mox fuerunt mores, uti colligitur ex Socratis lib. 2.c. 43. Eustathius enim Sebastianus in Armenia Episcopus depositus tuit eò, quod vestes sacerdoti minimè convenientे gestasset, quæ vestis in sequentibus verbis dicitur fuisse habitus philosophi, h. e. pallium. Sed non tam propter vestem ipsam reprehensus fuit Eustathius, quam quod reliquos veste tali non utentes damnaret. Docet id canon. 12. Concilii Ancyranī : *Si quis vir, ob eam qua existimat pietatis exercitationem, utatur periboleo, h. e. amictu pallii, & velut in hoc justitiam constitutens condemnet eos, qui cum pietate beris & alia communis solitagy veste utuntur, anathema sit.* Interpretum omnium consensu Eustathium ejusque lectatores in hoc canone perstringi notum est. Utrum autem per beros ex serico contextæ veste intelligi debeant, uti vult Theodorus Balasamon & Johannes Zonaras, meritò dubitare licet, siquidem byrrhum vulgarem vestem, & βιρρόφορος plebem infirmam, tenues quirites & εὐτελεῖs fuisse, optimè notat Jacobus Gothofredus ad l. Cod. Theodos. de habitu, quo uti op. int. Urb. Conf. Carol. du Fresne in Gloßar.

XII. Et hoc quidem Tertulliano objectum fuerat, cum is Christo nomen dedisset, & togā rejectā pallio vestiretur, ut simplicitati religionis responderet cultus simplicitas, quod deteriorem conditionem amplectus esset, & à togā ad pallium se contulisset. Calumniatori illi gentili ut responderet Tertullianus, libellum illum de pallio edidit, in quo, quantum in pallio profecisse se putet, eruditè exponit. Postquam verò ad feliciorē deinceps statum pervenit Ecclesia Constantino imperante, mutari mox cœperunt tam mores Episcoporum, quam vestimenta. Idque optimè notat Beatus Rhenanus in arg. lib. de pall. Inde natum, inquit, quod summa apud gentiles autoritatis Vir irelīcto paganismo, Christianæ religioni frequenter nomen dantes, pallio vestirentur. — At hodiè, commutata in diversis rebus, apud eos non solum à palliis ad togas, verū etiam ad diaclēma & sceptrum emerserunt, quos tamen vita frugalior sanctior & imprimis deceret, veluti puriorē gregis Dominici partem.

XIII. Id verò difficulter persuaderi poterit illis, qui splendorem in vestimentis & alium externum apparatum illustrem, prælatis non utilem tantum sed etiam necessarium esse contendunt. Dilectè ita Dominicus à Soto de just. & jur. lib. 9. q. 4. art. 1. Si quis nobis objiciat, debere omnes in paupertate vivere, profecto nemo est, qui huic sententia refragaretur, si posibile esset, ut tantus Clericorum numerus, quantus necessarius est, decenti sanitati

ditate polleret: nam tunc circa alium ornatum populo haberetur in precio. At quia id fieri non potest, necesse est conditio humana indulgere: haud enim esse omnes possunt, ut Divus Martinus & Nicolaus, atq. adeo sic sacerdotes familiæ & auctoritate honestare, ut populus eos non despiceret, sed tanquam præcipios Reipublica colat. Quare nullum est indecorum, si Episcopi cœu alii Magnates vivant, & Canonici sicut alii nobiles, & sacerdotes velut alii cives. Etenim documentum hujus rei manifestum est, quod in illis provinciis, ubi sacerdotes nimia egestate premuntur, vilescent in conspectu populi, atq. inde sacramenta & res sacræ è inclinant, ubi in opprobrio habentur. Videtur hic quasi commentarium scripsisse Sotus ad illa Iwonis Carnotensis in epist. 238. verba: *Dignitas Episcopalis paupertatem his diebus honeste ferre non valeat.*

XIV. Uti ex verbis Soti constat, splendor ille & ornatus externus luc cessit in locum sanctitatis expulsa, & occultare debet improbitatem Clericorum, propter quam contemptui esse solent suis parochianis. Misericordia verò vitio isti curando cataplasma, quod ex alio vitio prescriptum in modum conficitur, & magis auget malum, quam ut minuat. Carpit non semel gravissimus auctor Seneca, tum & Plinius, sericas & Coas vestes ad Viros abiisse, nec putarunt illi, sanctitatē ex iis comparari posse, uti nunc quidem doceri solet. Aliud longè credidit suo ævo Petrus Damiani Cardinalis Episcopus Ostiensis, qui in epist. quam recente Cardinalis Baronius de ann. 1061. num. 52. fallè perstringit Episcopos illos, qui sacerdotali pompa imitari velint Principes seculares: *Tadet, inquit, catera vanitatis attexere non ridenda, sed gemenda ridicula.* Fastidium est tot ambitionis ac prodigiosa vesania & dinumerare portenta, papales scil. infulas, gemmis micantibus aureisq. bracteolis per diversa loca corruptas, Imperiales equos, qui dum pernices gressus arcuatis crinibus glomerant, fessoris sui manus loris innexas indomitata ferocitate fatigant. Omitto annulos enormibus exhibitos margaritis: prætereo virgas, non jam auro gemmisq. conspicuas, sed sepultas. Nunquam certè vidisse me memini pontificales baculos tam continuoradiantis metalli nitore contectos, sicut erant, qui ab Esculano atq. Tranensi gestabantur Episcopis. Ut ergo tamen, alter in Apulis finibus Nicolao presidente, alter in Lateranensi Ecclesiæ coram Alexandro, Romanis scil. Pontificibus sunt dejecti: nec eis profuit, quod pontifices lignæ auratis usi sunt baculis, dum sacerdoti meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritualium norma virtutum: & non micantia margarita, vel gemmae, sed mores aurei deceant sacerdotem. Sicut enī vera sacerdotis humilitas DEUM sit conciliat, & caterae ejus bona commendat: sic arrogantia tumor & vanitatis ambitio divina adversum se indignationis iracundiam provocat, & contrabonum, quod aliquando forsitan operatus est, pugnat, &c.

XV. Dignitas & autoritas, quæ ex vestibus procuratur, sanè quam vana atque frivola est, neque curari debet, qui ex neglecto habitu resultat contemptus. Iste Christus & Apostoli, quorum successores sese jactant Episcopi, obtinuerunt hoc, ut spernerentur. Atque id proprium esse videtur eis, qui sanctitatem colit, & vitam vivit innocentem atque innociam. Et verò quid contemptis nocuit, vel contemptoribus profuit ista despiciens? Exprobatum tibi conqueritur Gregorius Nazianzenus, quod nec mensa lauta & opipara, nec ueste magnifica sit usus, nec splendide in publicum prodierit, nec ad eos, à quibus conveniebat, gravitatem & fastum adhibuerit. Sic & Hieronymus: Nos, inquit, quia sericea ueste non utimur, monachi judicamur: quia ebri non sumus, nec cachino ora dissolvimus, continentes vocamur, & tristes: Si tunica non canduerit, statim illud è trivio: impistor & Gracus est. Neutrius autoritas propterea imminuta fuit: uterque mansit Ecclesiæ Doctòr eximus, & vivit etiamnum uterque inscriptis suis, cùm de obtrectatoribus eorum vel omnino nihil, vel parum admodum constet. Et si dicendum quod res est, vestis insignior, cultusque corporis, qui ad famam queritur, risus movet potius, quam autoritatem conservet. De qua re pleni sunt philosophorum libri.

XVI. Eleganter Bernhardus in confid. ad Eugenium Papam lib. 3. perstringit leges vestiarias, quas Clericis præscriperat, sed minus executus fuerat Eugenius: Præcipimus, aisti, ut tam Episcopi, quam Clerici neq; in superfluitate, seu in honestâ varietate colorum, aut fissurâ vestium, neq; in tonsura intuentium, quorum forma & exemplum esse debent, offendant ad peccatum, sed potius ita in suis arbitris errata condemnent & amorem innocentia conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericorum. Quod si moniti ab Episcopis suis infra quadragesima dies non obtemperaverint, ecclesiasticis beneficiis eorundem pontificum autoritate priventur. Episcopi verò si præfixam paenam irrogare neglexerint, quia inferiorum culpe ad nullos magis referenda sunt, quam ad desides, negligentesq; Rectores, tamdiu ab officio pontificali absclineant, donec paenam a nobis constitutam clericis tibi subiectis imponant. — Verba tua hæc tu sanxisti: quid effectui mancipatum?

— Luxus vestium interdictus, sed non restrictus: pena dictata sed minime secura est. — Et nunc leva oculos tuos & vide, finis aquæ ut prius pellicula discolor sacram ordinem decolorat, si non aquæ ut prius fissura enormous penè inguina nudat. Solent dicere: Num de vestibus cura est DEO, & non magis de moribus? At forma hæc vestium deformitatis mentium & morum indicium est. Quid sibi vult, quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt? Id quidem minus castum, minusq; sincerum. Nempe habitu milites, quasi clericos, actu neutrum exhibent. Nam neq; ut milites pugnant, neq; ut Clerici evangelizant. Cujus ordinis sunt? Cum utriusq; esse cupiunt, utrumq; deferunt, utrumq; confundunt, &c.

XVII.

XVII. Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis Vir doctus & pius scripsit integrum tractatum de temperantia in cibis, potu & vestibus prælatorum. In eo disquirit de fine pompæ externæ ab Episcopis & Clericis in vestibus, in ferculis, & familiâ ostentari solitæ, eumque facit triplicem, ita ut intendatur, vel gloria Dei, vel utilitas proximi, vel honestas & autoritas Ecclesiæ. Nihil horum putat obtineri posse. Non primum, quandoquidem Deus luxum omnem detestatur: non secundum, quia ista Clericorum pompa scandalum præbet Laicis & apud eos invidiam atque indignationem excitat: non tertium, quia autoritas Ecclesiæ in spiritualibus consistit, & propter spiritualia illa honorari ea debet, non propter temporalia externa; alioquin sequeretur, Christum & Apostolos non sufficienter suam ornasse Ecclesiam. Addam aliqua ejus verba: *Porrò non habet opus ista pars allegationibus scripturarum, ut doceamus, pompam esse in scandalum laicorum. Interrogetur experientia, & magnâ voce clamabit: Ita est: nihil verius est.* Nam unde fuit tanta Principum & secularium devotio apud antiquos Ecclesiasticos pauperes & pannos? Unde tantus bonos: tant a reverentia? tantus cultus? Utique, quia pompas tales nihil pendebant. Idcirco tanquam apud bonos & fidèles dispensatores copiosissima eis ministrabantur divinitate: quia postquam in sole scilicet & eis abuti cœperunt, in contraria versa est prior largitus: dico in directionem & contemptum. Et porrò: *Si vero dicant Ecclesiastici, quod talia non agant ad superbiā suam velexcellentiam, sed ut conformatur illis, apud quos vivunt, non erubescant, nisi sint honorabiles inter proximos, & alios, ac ne alios scandalizent tanquam si sint avari vel hypocritici scicti, nisi se moribus conformat, videant obsecro, ne contrarientur huic precepto: nolite conformari huic seculo, dum errores, quos corrigere deberent, imitantur. Imitanda potius est humilitas Christi, non exhorrenda, nec erubescenda vilitas, qua propter eum, in sui ipsius dejectionem sustinetur &c.* — Rursus si Viri Ecclesiastici talibus utuntur pro solo honore statutus Ecclesiastici, cur dimittunt tam magnam partem sacerdotum & juratorum in statu tam inculto, tam infimo & plebejo? Imò quam temeritate ipsos spoliant & denudant? — Apud Principes & Laicos alios plus irridetur hac pompa, quam in honore vero habeatur: repellitque fulgor hic pauperes, ne accedant ad petendum consilium, aut confessionem faciendam: Unde murmurent, invident, detrahunt, quod non facerent, si illi humiliter se gererent.

XVIII. Seculo duodecimo, quo Bernhardus floruit, invaluerant inter Episcopos & prælatos alios non vestes tantum versicolores, sed frene etiam, calcaria & reliqua ornamenta inaurata, quibus acerbo quandoque stylo insultat Bernhardus. Sic enim scribit epist. 42. ad quendam Archiepiscopum: *Clamat vero nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt: Dicite pontifices in freno quid facit aurum? Nunquid aurum a freno repellit frigus*

frigus sive esuriem? Nobis frigore & fame labor anibus quid conferunt tot
mutatoria, vele extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod
effunditis: Nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. —
Iumenta gradientur onusta gemmis, & nostra non curatis crura nuda caligu-
lis. Annuli, catenulae, tintinnabula & clavat & quedam corrigia, multaque
alia tam speciosa coloribus, quam ponderibus preccosa mulorum dependent cer-
vicibus; fratrum autem lateribus nec semicincti a miserantes apponitis. Et
ad quandam Archidiaconum epist. 2. Conceditur, inquit, tibi, ut si benè de-
servis, de altario viras, non autem de altario luxurieris, & de altario super-
bias, ut inde comparestibifrena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata,
varia, grisea, & pellicea a collo & manibus, ornatu purpureo diversificata.
Denique, quicquid prater necessarium vinctum ac simplicem vestitum de al-
tario retineas, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.

XIX. Circa finem ejus seculi Innocentius III. Pontifex, ut fibulam isti
luxui injiceret, edidit constitutionem, quæ extat c. 15. extra de vit. & ho-
nest. cler. Inter alia de vestimentis ita edixit: *Clausa deferant Clerici*
de super indumenta animi brevitate vel longitudine non notanda: Pannis ru-
beis aut viridibus, nec non manicis aut sotularibus consutitiis, frenis, sellis, pe-
ctoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus, non
utantur. Cappas manicas ad divinum officium intra Ecclesiam non ge-
rant, sed nec alibi, qui sunt in sacerdotio & personalibus constituti, nisi iusta
causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant,
neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes, &c. Ad eundem modum
decrevit Concilium Monspeliense anno MCCXIV. habitum can. 1. Nullus
Canonicus cathedralis vel conventualis Ecclesie vel alius Clericus de beneficio
Ecclesiastico vivens frenis vel calcaribus deauratis utatur. Et can. 2. nul-
lus Clericus cathedralis vel conventualis Ecclesie, vel alius Clericus de beneficio
Ecclesiastico vivens indumentis vel caligis rubei, vel viridis coloris, vel mani-
cis consutitiis, vel cappa utatur manicata.

XX. Quam parum vero profecerint vel pontifices per constitutiones
suas, vel concilia per decreta, etiam iterata, & repetita, variae ostendunt
quærelæ ea de re extantes. Circa equestrem Episcoporum ornatum quan-
tus seculo decimo quarto extiterit luxus, disce potest ex Petri Clarevallensis
epistolâ, quam sub nomine Jesu Christi scripsit ad Innocentium VI. Papam
& Curiam Romanam anno MCCCLIII. cuius fragmentum, quod ad
hanc rem facit, ex vetusto codice M. S. edidit Vir Cl. Stepha-
nus Baluzius in not. ad Agobard.

pag. 82.

C A P .

C A P. IIX.

Ab omni superbia Episcopum debere esse alienum.

I.

Lubet hic præmittere & applicare monitum Ecclesiastici cap. XXXII, 1. seq. Rectorem te posuerunt? noli extollit: esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, & sic considera & omni cura tua explicita recumbe; ut leteris propter illos & ornamentum gratia accipias coronam, & dignationem consequaris corrogationis. Generaliter loquitur de ἡγεμόνῳ Siracides, ut sub eo non male comprehendendi queat Episcopus. Etsi enim de architrinco ea verba accipiat Maldonatus Jesuita, ut & Sebastianus Castalio, in metaphrasi suā de magistro convivii interpretatur explicationem, qui tamen istam intentioni autoris non convenire eruditè ostendit Isaacus Ca-saubonus *exercitas.* 13. §. 19. cui consentientes Marianam & Sa adducit Richardus Montacutius orig. *Eccles. part. 2. pag. 25.* Statuendum ergo est, quemvis Rectorem societatis alicujus, sive civilis ea fuerit, sive Ecclesiastica, & sic præcipue Episcopum, propter προστασίας dignitatem, quam gerit, extolli & cristas erigere non debere.

II. Sic enim etiam Apostolus Paulus Episcopum prohibet esse τυφερτα superbum, elatum, arrogantem, inflatum *I. Timoth. III, 6.* & addit rationem, quia talis incident in judicium Diaboli, h. e. in eandem condemnationem, in quam se se præcipitem dedit Diabolus. Ex quo conficiunt nonnulli, superbiam esse peccatum illud, propter quod ex statu suo primævo dejecti fuerint angeli aliquot. Sic enim etiam Augustinus in *quæst. Vet. Test.* Diabolum ait elatione inflatum voluisse vocari DEUM. De quā tamen re, cūm in Scripturis nihil in specie definitum sit, non est, ut prolixè sollicitissimus. Hoc tantum dicit, angelos malos in veritate non stetisse *Joh. VIII, 44.* vel ut Judas loquitur, *vers. 6.* originem suam non servasse, & propterea ad tar-tarum detrusos esse, *2. Petr. II, 4.* idque ex voluntate DEI nosse sufficit.

III. Omnium vero gravissimum hoc esse vitium plerisque omnibus creditum semper fuit. Basilius M. lib. 1. contra Eunomium, Arrogantia, inquit, *omnium humanarum affectionum gravissima esse videtur, & revera Diaboli judicio omnes eos subiecere, qui eā laborant.* Gregorius M. in moralibus superbiam totius peccati initium facit, ita ut à tam virulenta radice septem principalia vitia veluti rami orientur. & ex singulis ramis ramulculi alii aliorum vitiorum, procedant tantā quidem amplitudine dilatati, ut mundum ferē totum in maligno positum penē operiant. Cujus sententiam cūm retulisset Joannes Saresberiensis in *policrat.* lib. 8. cap. 1. mox addit: *Ex quo constat, ei, qui ad salutem tendit, primam superbiam obolem extinguendam.*

Qua

Quasi paulisper succreverit, omnium virtiorum frutes de se, ut prædictum est, cognit. Nam et si sit apud aliquem quandoq; præcipua, nequaquam possibile est, ut sit sola. Si enim quempiam inanis gloria stimulat, necesse est, ut per abrupta virtiorum præceps ruat. Hoc est autem, quod nobile censetur vitium, adeoq; humanae fragilitatis demulceret ingenium, ut vix sit velà præclaris mentibus alienum. Nam & orrum nobilem habet, suiq; dispensū processum nescit, antequam à fastigio corrut, quod optavit. Nam & de se virtus oriuntur, at inanis gloria etiam in virtute originis sua figur radicem. In quo enim quisq; præcateris pollet, in eo nisi adsit moderatrix gratia, facilius intumescit.

IV. Ad eundem modum Theodulfus Episcopus Aurelianensis in fragment. apud Petrum De la lande in supplēm. Concil. Gall. pag. 87. superbiam facit principium & radicem omnium peccatorum : Omnis, inquit, peccans superbus est, & quod faciendo vetita, contemptim habeat divina præcepta. Rechè ergò initium omnis peccati superbia, quia nisi præcesserit mandatorum DEI inobedientia, transgressionis non sequitur culpa. Superbia sicut origo est omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum. Ipsa est enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema. Hec enim aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut novissime de virtutibus dejicit. Inde omnium peccatorum est maxima, quia tam per virtutes quam per vitia humanam mentem extermi- nat : ex culpâ superbia plerumq; in abominandam carnis immunditiam itur, &c. Eoq; tendit etiā explicatio formulæ, quâ in baptismo renunciatur Diabolo, operibus & pompis ejus, prout ea legitur in addit. 2. capitular. Ludovici Imp. tit. 4. Opera ejus (Diaboli) sunt, quæ utiq; operibus Salvatoris contraria existunt. Primum superbia, cuius ille auctor est, & quæ eum ex angelō Demonem fecit, quæ est etiam initium omnis peccati, & cetera vitia, quæ ex radice prodeunt superbiae. Pompadiaboli hæc est, quæ & pompamundi, id est, ambitio arrogantia, vanagloria, omnisq; cuiuslibet rei superfluitas in humanis usibus, unde crescit elatio, quæ multoties honestati solet adscribi, & cetera hujusmodi, quæ de fonte superbia procedere noscuntur.

V. Patet hinc, tot esse gradus superbie, quot bonorum temporalium. Dantur namque & genera, & generum species, & specierum individua. De illâ superbie specie, quæ ingloriâ vestium & habitu corporis sese exerit, diximus in cap. anteced. Reliquas omnes & singulas & hic persequamur, nostrum non fert institutum. Datur autem inter illas singularis aliqua & admodum subtilis, quæ interdum speciem humilitatis induit, & virtutis formam mentitur, qualis est, si quis alterius insectatur superbiam, sed superbiâ alia, quomodo Diogenes pede premens culcitram Platonis, & dicens, se calcare fastum illius, audivit : calcas quidem, sed alio fastu. Eoque pertinet superbia illa spiritualis, quam prolixè perstringit Johannes Cassia-

Cassianus lib. 12. collat. Eam dicit per frequenter infestare illos, qui quam maximè sibi videntur perfecti, & propemodum jam positi in consummatione virtutum. Quod superbia genus, inquit, cap. 24. nec multis cognitionum nec expertum est. Quia nec plures student perfectam cordis apprehendere puritatem, ut ad hos priorum gradus valeant pervenire, nec precedentium virtutum, quorum in singulis libellis naturam pariter remedium præmisimus, procuratur ullapurgatio. Sed illos solummodo pulsare solent, qui de virtutis superioribus virtutis jam propemodum sunt in virtutum culmine collocati. Quos quia lapsu carnali subtilissimus hostis superare non quivit, spirituali ruinâ dejicere ac supplantare conatur, &c. Planè in panis quoque potest esse fastus, & sæpe solent hi quoque esse superbi, qui sancti esse dicuntur.

VI. Ab hoc igitur vitio, tam fœdo, tamque fœcundo, Clerici omnes, maximè vero Episcopi, omni contentione sibi caveant, ne in judicium Diaboli incident, ut loquitur Paulus Apostolus, è contrario vero humilitatem sequantur, & suis auditoribus, quibus præpositus fuit, exemplum præbeant, quod imitentur. Concilium Cabilonense II. can. 4. Opportunum ducimus, ut humilitatem atque religionem, & in vultu & in opere, & in habitu & in sermone demonstrent, ut bene agentes & habitu & vultu demulcent, male agentibus vero ipso suo visu terribiles sint. Fuxta illud, quod in tabernaculo DEI boum & leonum effigies expressæ fuisse memorantur: & Dominus in Evangelio & astutiam serpentis & simplicitatem columba habendam perserat. Sic & Concilium Valentinius III. can. 15. Ut de vita & religione suâ unusquisque, tam in conversatione sua, quam etiam in habitus & vultus ac sermonis gravitate, talem se dominorumque & suis & extraneis exhibere studeat, ut maturitate morum & repudiatione omnium levitatum ac vanitatem omnibus sibi adhaerentibus, seque intuentibus, formam disciplina & verecundia ac modestia ac insfundat.

VII. Ubiverò, prob dolor! reperiemus Episcopos, qui post adeptam dignitatem in humilitate se contineant? exclamat Bernhardus serm. in Synod. Rhemensi. Plerumq. enim, ait Gregorius M. in pastoral. lib. 2. c. 16. Rector eo ipso, quo ceteris præminet, elatione cogitationis intumescit, dum videt iussa sua velociter impleri, & laudibus efferrari, incipit intus evacuari veritate, impleri vanitate, & oblitus sui in voces se spargit alienas, talemq. se credit, qualiter se foris audit, non qualem intus discernere debuit, & jam credit se meritum excedere, quos potestate transcendit, cunctis se estimat amplius sapere, quibus videt se amplius posse; in quodam se constituit culmine apud semet ipsum, & ex equo respicere ceteros designatur, ut siat similis illi, qui dixit: ascendam super altitudinem nubiū. Hæc enim est in deos humani ingenii, & corruptæ naturæ, ut illi, quos in fastigium alicujus dignitatis evexit fortuna,

nā, suā nesciant uti felicitate, & secundis rebus insolecant, atq; efferantur, ita ut ipsam suam dediscant naturam. Non pauci illi sunt, inquit Petrus Damianus serm. 2. de S. Severo, qui privatim degentes morum innocentia florebant, sanctitatis alumni, virtutum studia colentes, in perferendis contumelias moderati, in edomando corpore invicti, in sensuum licentia refrenandā fortissimi. Quis igitur horum integritate confisus suum in animum induxit, si, hujusmodi Viros ad honores sacros electos, Ambrosios, Augustinos in scientiā, salem sanctitate expressuros? quid tamen? dicenti fidem vix dederis, miserabilem degeneraverunt. Sed cum pastoralis custodia curam suscipiunt, quicquid sanctitatis habuerant, ut ita, prob dolor, dicam, concambio miseria permutationis amittant, omne, quod pie vixerant, obliviscuntur, & decurrentium more fluminum ad ima absq; ulla retentionis obstaculo devolvuntur.

IX. Idem Damianus opusc. 21. c. 2. eleganter describit mores noviter electi Abbatis, à quo noviter electus Episcopus nihil omnino differt, cùm uterque ad fastigium dignitaris Ecclesiasticae adscendat sub eodem schemate. Verba sī habent: *Ipsō die, quo in prælatione constituitur, præsidentiusq; inducit speciem, ita dominantis exprimit majestatem, ut non nuper electum, sed maturum dicas abbatem.* Fit repente severus in vultu, imperiosus in voce, ad corripiendum acer, adjudicandum promptus: ipse si offendere, jam omnino satisfactionis est ignarus; designatur accumbere, nisi in octogono stallo, ita preparato, ac si Senatoria curulis in curia. Pro sua voluntatis arbitrio hac præcipit fieri, illa contestatorie interdicit, ligat, solvit, amovet, & in iis omnibus nequam à nobis senioribus consilium querit, sed sibi ipsi sufficiens, velut propriæ potestatis jura disponit. Devotis quidem subditis pollicetur gratiam, repugnantibus autem phalaricâ spirat animadversione vindictam, ut potius videatur in præfectoriis fascibus agere, quam Ecclesiastica humanitatis officio deservire. Nauseant fauces ejus communia nobiscum alimenta percipere; necesse est coquis plura artq; diversa uni ventri edulia preparare, nam grossus cibus, qui ex communi fratum lebete deponitur, indignum pituita, teneri & delicatissimi hominis judicatur. Nuper egressus dormitorium, quiescere non potest, nisi secretum & singulare habeat cubiculum: licet juvenculus, licet validus corpore, nescit incedere, si defit baculus, quo se debet sustentare. In his itaq; & aliis pluribus, qua perséqui longum est, ita subito magister efficitur, ut in tota præsidendi regulâ velut antiquus jampater, nihil offendere se videatur. Quam doctè, quam imperiose novit cuncta, velut quādam majestatis autoritate præcipere, qui diutissim subditus nunquam sapuit suis præceptoribus obedire.

X. Famulos est in historiā Ecclesiastica fastus Pauli Samosateni, quem ita describit Eusebius lib. 7, cap. 30. ex epistola Synodica Concilii Antiocheni: *Neg quod fastu & arrogantiā supra modum elatus seculares gerit*

di-


dignitates & Duxenarius vocari, quām Episcopus marvult: per forum magnificē incedens, epistolas legens ac diētans inter ambulandum palam ac publicē: stipatusq; maximā hominum multi: udine, partim p̄euentum, partim subsequentium: adeo ut ex illius fastu & arrogantiā incredibilis invidia odiumq; multorum adversus fidem nostram conflatum sit. Neq; item attinet examinare ambitionem hominis vanitatem in Ecclesiasticis conventibus, quam omni studio consecratur: nihil aliud quām inanem gloriam captans, & pompam affectans, atq; hujusmodi artibus animos imperitorum perterrefaciens. Nam & tribunal & sublimem thronum non ut Christi discipulus sibi ipse construxit: & secretum perinde ac seculares magistratus, ita appellatum habuit. Ad hac semur manu percutere, & tribunal pedibus pulsare solitus, &c.

X. Ejusdem notæ fuerunt cāxatē Epilcoi alii, qui ad illam, quam postmodum adepti sunt eorum Successores, magnitudinem & pompam, adspirarunt, primaq; tum initia ejus magnocum Ecclesiæ damno posuerunt. Origenes certē, qui eodem seculo floruit, refert, comment. in Matthæ. pag. 420. tales esse quosdam Episcopos, ut etiam malorum Principum mundi excedere superbiam videantur, eos non solum querere, sicut Reges, acies p̄ecedentes, & terribilesse & accessu difficiles, maximē pauperibus exhibere, & tales esse adeos, à quibus propter aliquid deprecantibus interpellabantur, sicut nec tyranni, & esse crudeliores principibus mundialibus ad subjectos. Et est, inquit, videre in quibusdam Ecclesiis principiū civitatum maximarum, principes populi Christiani, nullam affabilitatem habentes, vel habere ad se permittentes. Et mox: Episcopi autem quidam crudeliter comminantur, aliquando quidem occasione peccati, aliquando autem contemnentes pauperum curam.

XI. Nec sunt tamen ab externis semper gestibus & mortu intemperaniā superbia argumēta capienda, cūm tām occultē lēpē & abditē lateat hoē vitia, ut etiam à prudentissimis & sagacissimis haud observetur, neque se exelerat priūs, quām irritetur paulisper, & ad iram commoveatur animus, cæteroquin ad pecies & usurpationem ficta humilitatis eleganter compositus. Nihil fallacius est, quām vita sancta sub religionis integumento. Fallere potest & vita ipsa, quā sanctitatem mentitur, & prava religio, quā per vitā sanctitatem veritatis speciem acquirit. Ac proinde iustē inventitur Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis in Felicem Episcopum Urgellensem, cap. 2. quod dum ab omnibus pro sancto haberetur, prava non nullain Ecclesiam sparserit dogmata. Non ego, inquit, hoc doctis & eloquentibus viris dico — sed meis similibus, quibus vere scito expedire, ut fidē suam subtilissimē corrigant, qui incautē admirantes vitam predicti Felicis, probanda putant cuncta, quæ dixit, nescientes, quia non ex vita hominis metienda est fides, sed ex fide probanda est vita. Quanquam enim multi benè credentes male

male vivendo pereant; nullus tamen male credens bene vivendo salvatur. Solius enim omnipotentis DEI est nosse occulta hominum, vel quis cum reprehensibili vita humilem mentem gestet, aut quis cum laudabili vita superbam? Neuter enim perfectus est. Sed quis è duobus magis auctor displaceat, illi sibi superbit nosse. Scimus namq; quia qui infirmitatis sua bene fisi sunt consit, sanctos se esse, etiam si ab aliis dicantur, non credunt. Qui autem propter bonam conversationem, dum laudantur ab aliis, sanctos se esse confidunt, & idoneos se putant ad judicandum ceteros, & alios quidem propter vitam carnalem, alios autem propter satutatem sensus despiciunt, omnibus tamen in commune detrahunt, non possunt illi placere, qui dixit: Discite à me, quia misericordia sum & humilis corde. — Cum ergo cognitio & actio beatum hominem faciat, sicut in cognitione vitandus est error, in actione cavenda est nequitia, &c. In eandem lententiam circa idem tempus scripsit Odo Abbas Cluniacensis lib. I. collat. cap. 13. Igitur malitia ad violentos pertinet, superbia verò & luxuria tamen ad ipsos, quam etiam ad alios, qui mansueti plerumq; videntur. Nam in ipsis mendicis & pauperrimis ista duo vitia vigere solent, &c.

XII. Et hæc quidem superbia, ubi radices egit, raro sola existit, sed ad juncta sibi habet vitia quam plura alia, & cupiditatem præsertim variorum rerum, ex quibus mundi hujus construuntur vanitates: quemadmodum ex adverso humilitas charitatem sibi quasi adglutinatam habet hujus & futuri seculi virtutem propriam. Nunquam enim, inquit Cæsarius Episcopus Arelatenlis homil. II. vel cupiditas sine superbia, vel charitas sine humilitate aut potuit esse aliquando, aut poterit. Ac sic quicunq; humilitatem laudat, cum illa & charitatem, de qua nascitur, prædicat. Et è contrario, qui superbiam accusat, simul & cupiditatem, sine qua esse non potest, damnat. Quomodo enim charitas & humilitas velut duas sunt, quibus humiles animæ elevantur ad cælum, & si una defuerit, alia prodesse nihil poterit, ita & è contrario cupiditas & superbia velut duas compedes esse probantur, cum quibus infelices superborum animæ, dum semper elationem in altum eligunt, iusto DEI iudicio in inferni profunda descendunt. Es ideo, quoties in scripturis divinis aut in quibuscumq; prædicationibus audieritis laudes humilitatis, ibi etiam præconia charitatis agnoscite; sicut è diverso vituperatio, nem superbia cupiditatis execrationem intelligite, &c.



CAP. IX.

Ambitionem omnem Episcopo esse fugiendam.

I.

Pessimè consulunt sibi ipsis, qui non aliam laborum suorum mercedem expetunt, nisi honores ac divitias, proqué iis adipiscendis non indecorum putant, omnibus assentari, cupiditatibus aliorum servire, multaque alia facere, probis & ingenuis Viris indigna. Etenim non modo non sapientis, sed nec ratione utentis esse puto, ob res incertas ac fluxas, vel umbras rerum potius, tantum laborem capere, tantum in existimatione sua dedecus, & quod caput est, tantam in anima plagam accipere. Ut rectè dici in eos possit, quod olim, ut est apud Senecam patrem, Vir quidam sapientissimus dixisse narratur in eos, qui summâ contentione studioque honores in municipiis quærerent, nimirum eos in somnis laborare. Cui addendum est, eos, qui in lano honorum studio capiuntur, non tantum ab hac vita, tanquam à somno vacuas, bonorum operum manus referre, verum etiam dedecoris, ignominiae, malorumque facinorum plenas exportare. Per se ipsum quærendus est Deus, & virtus propter se ipsum diligenda, regnumque cœlorum propter se ipsum expetendum est. Et qui dignitatis atque honorum studio agitantur, plerumque sine Deo sunt, sine virtute, & exules in regno cœlorum.

II. *Kerodōξes* vocat Apostolus illos, qui inanis gloriæ studio turgidi animum superbissimè efferunt, summaque beatitudinis honoribus neglectis infimas has sordidasque terrarum dignitates atque præconia cum quādam anxietate appetunt. Basilio Cælariensi Archiepiscopo *Kerodōξes* dicitur ille, qui simplicis tantum gloriæ mundanæ causâ, quæ vel à spectantibus, vel ab audientibus ipsis nascitur, aliquid facit, dicitve: *in Reg. brev. interrogat. 52.* Qui idem Basilios *in constitutionibus Monasticis cap. 10.* *ne vobis oξια,* quid in recessu habeat, vivis quali coloribus depingit. Illam dicit expugnatu esse difficilem, & callide saluti noſtre infiduciari, nec vereri eam infidias struere in ipsis cœli extremitatibus, virtutes autem omnes ramis licet in cœlum expansis ac porrectis adornatas profigare atq; extinguere. Nec incongrue is ambitionem alibi describit ita, ut statuat, quādam veluti affinitate cum ipso dæmone eam connecti, quippe qui primus & ambitione turgidus fuit ipse, & hominem ad simile vitium incitavit. Diabolica itaq; pestis est ambitio, & sine dubio, qui in hujus vitii potestate est, eodem planè cum diabolo morbo laborat, nec aliam gerit mentem, nisi à diabolo occupatam.

h 3

III. Nec

III. Nec est ergo, quod magis dedebeat Episcopum, aut Episcopatus cupidum, præterquam ipsum hoc ambitionis vitium. *Fundamentum Philosophiae nostræ*, inquit Chrysostomus hom. 2. in epist. ad Philipp. humilitas est: quis igitur in cathedris nostris ambitionem intrusus? Est enim verò sanctis ipsis sedibus quasi adnexum & proprium hoc vitium, ut & per ambitionem querantur, & earum axiomata non aliis artibus augeantur. Nec enim continere se facile poterit quisquam, qui tantam dignitatem secularibus potestatisibus exequatam imo eas transcendentem, vel appetit, vel sustinet, quo minus pristinos suos mores ad humilitatem compositos vel exuat prorsus, vel immutet saltem. Tantumque abest, ut hodie inter Episcopos reperiatur aliquis humilitatis studiosus, ut potius vitio vertatur, sicuti demittere animum & spiritus ferociores comprimere velit, postquam scilicet dominationis & laudis & gloriæ cupiditas adeo invaluit, ut ex opinione multorum, res tamen parum consideratè expendentium, virtutibus connumerari nunc soleat. Alia longè fuit mens Gregorii M. qui *comm. in I. Reg. cap. ult.* his verbis dignitatem istam describit: *Habet spiritualis prælatio exteriorem gloriam dignitatis; habet & interioris magnitudinem oneris. Honor ipse dignitatis per se magnum est onus mentis, quia contemni debet, & placet: contemni quippe debet, ne mentem per superbiam elevet; & suspici debet, ut caelestia, quæ doctor loquuntur, subiecti venerentur.*

IV. Pessimum verò est istud ambitionis hominum genus, quod sub virtutis specie & fictæ religionis atque pietatis cultu sapientissimos quosque decipit atque fallit. Nec enim apertâ semper viâ incedit ambitio, seque conspicuam reddit omnibus, sed reconditas & penumero & operatas querit latebras, seque id occultat nonnunquam, ut humilitatem & devotissimam Deo mentem, nec alii nisi pietati inservientem egregie mentiatur. Qui hoc animo sunt, fronte atque vultu, sed & actionibus, quibus simulatio facilimè sustinetur, longè alli videntur. Superbiam enim, quâ infecti sunt, in demissam abjectionem convertunt & longè se, ab illis præfecturis, alienos ostentant, quas ardentissimâ cupiditate depecent, & venantur. Eleganter istos tales describit Johannes Sarensenensis Episcopus Carnotensis *in policrat. lib. 7. cap. 18.* Stupidi, inquit, obstupescunt, nomen dignitatis abhorrent, refugiunt onus, & ut avidius impellantur, more, ut dicitur, arietis, ut fortius feriat, recedentis, cum suspiriis, gemibus, & singultibus interruptibus simularas lacrymas retrocedunt. Nolum siquidem est, quia sedes hac trahit & impellit invitos, & quos notat ambitio, repellit. Nituntur ergo rationibus & autoritatibus docere, quare eos episcopari non deceat. Non sum, inquit, medicus, & in domo meâ non est panis, nec penes me thesauri sunt, unde in necessitatibus articulo nova & vetera indigentibus proferam. Possum itaq. uti excusatione propheticâ, quoniam loqui nescio

nesio & quia puer ego sum, et si non atate, revera scientia & levitate morum. Sordidis uestibus ab initio induitus sum, & eas nunquam sanguine agni, aut uestibus studiis dealbare. Quomodo ergo sancta tractabo pollutus, aut quod sacerdotem oportet polluta mundabo. Nam legem indefinenter contempsi, & Sanctum DEI, increpante Ezechiele, polluere non cessavi. Mea ergo promulgatio populi dejectio est. Ruina siquidem populi Sacerdotes mali. — — Tolerabilius ergo est, me unum propriis consumi vitius, quam in multos viatorum diffundi pestem, &c.

V. Planè, qui ita sentiunt, non alium in finem pietatem præferunt, nisi ut Ecclesiæ rapiant, quas si rapuerint, pietatem ipsam aggrediuntur, & evertunt. Nec enim simulatum potest quicquam esse diuturnum, Et sicuti ficta omnia celeriter, tanquam floculi decidunt, ita mirum non est, eos, qui simulatione & inani ostentatione, ficto non modo sermone, sed etiam vultu dignitates aucupantur, mox, ubi adepti illas fuerint, personas exuere, &c., quales sint, depositâ larvâ, magno cum Ecclesiæ malo repræsentare. Compluribus mortalium adlunt virtutis insignia, qui tamen verâ virtute vacant. Non omnes verè theologi sunt, qui pileum theologicum gerunt, quive hoc nomine sunt donati. Non omnes monachi, qui cucullo onerantur. Non omnes Christiani, qui ceremoniis tales se profitentur. Nec proinde omnes Episcopi, qui mitram gerunt bicornem aut pedum argenteum, nec omnes summi pontifices, qui vocantur sanctissimi, quique tripli corona insigniuntur. Videas sanè multos hodiè Episcopilibus insigniis incedere, quos jurares iplos Apostolos Ecclesiasticis virtutibus superare. Quod si verò quis vim ac naturam rerum penitus introspiciat, reperiet, nullos à vera sapientia longius abesse, quam istos, qui magnificis titulis, qui sapientibus pileis, qui splendidis cingulis, qui gemmatis annulis absolutam profitentur sapientiam; adeò ut non raro plus veræ germanæque sapientiae & pietatis deprehendas in uno quodam homuncione, juxta vulgi opinionem, idiotâ simplici ac semifatu, cuius mentem cœlestis ille Christi spiritus erudit, quam in multis theologorum & Episcoporum tragicis personis, ambitione & inani gloriâ turgidis.

VI. Ex his, quæ concise hactenus dicta sunt, colligere licet, diversas planè esse ambitiosorum artes, & plerumque mores eorum componi ad placitum illorum, à quibus honores expectant. Dum enim plura sibi tribui volant, quam ipsis pro merito debetur, dumque honores affectant, quibus non sunt digni, & res suis viribus majores aggrediuntur, quibus expediendis impares prorsus sunt, vitam & consuetudinem exprimere solent eorum, quibus honores istos largiendi potestas est. Quapropter ubi viderint, modestiâ sibi & humilitate opus esse, ut, quod affectant, consequantur, fronte atque vultu, tum & sermone, perbellè eam præsefe.

se ferunt, seque ab omni cupiditate remotissimos fingunt, cum desiderio ejus, quod cupiunt, æstuant. Quod si verò cum illis res fuerit, qui banchalia vivunt, non certè Curios se simulant, sed imò & ipsi genio suo indulgent, frequentibus conviviis fautores suos excipiunt, talesque se præbent, quales placere se illis posse opinantur. Alii aliter surrepunt suis patronis, quippe quos videas ab eorum latere nunquam discedere, submovere alios, ne accedant, metuere, ne quisquam validiore, quam ipsi, ambitionis æstu exagitati eos arripiant, atque ad se totos abstrahant, denique ore, oculis, vultu, motu corporis ita se illis dare, ut placeant semper, displiceant nunquam.

VII. Nonnullos φιλότιμα & ambitio eò adigit, ut, cum neque propriis meritis, neque Cleri populi studiis adspirare ad sacram hanc dignitatem queant, ad potentiam principum se vertant, eaque adminiculante Ecclesiis se obtrudant. Inter epistolas Nicolai de Clemangiis trigesima prima scripta legitur ad Johannem de Gersonio Academæ Parisiensis Cancellarium de mirabili & repente cujusdam interitu, qui ad præsumptum violentiæ potentia secularis intrudi quæsiverat. Id verò ut exemplum proponit Clemangius ambitionis divinitus punit: *Magnum, inquit, mihi horrorem terribilis ac repentinus obitus illius famosissimi Cantoris incusit, quem ferunt ante paucissimos dies Parisis migrasse. Sed majorem metum & terrorem mors ista debet illis inferre, qui pressi meritorum inopia, cùm ad Pontificale fastigium aliasve Ecclesiasticas dignitates, vero sibi præcluso ostio, minime adspirare debeat. Adhac vici ambitione imperiosaq; potentiae secularis importunitate, ardenter intrudi festinant, nihil interesse existimantes, quo pacto in ovile Domini cum ingrediantur: utrumne lupino de more per veteres dissipat asq; mace-rias introeant, an ut fures per nudata conquasataq; tecta insiliant, an potius aperti prædones violentiæ pecorum abactores, per effracta vi atq; armis ostia irrumpan.* — — *Advertite hoc animos vestros, ad vestramq; salutem & eruditionem hinc exempla, si sapitis, sumite, qui Ecclesiastica hodie beneficia, vi atq; minarum improbitate & patronorum manibus extorquetis, que jam ferè omnibus trita usq; adeò via est, ut pauci admodum aliam teneant. Considerate obsecro paulisper, quām impie & damnabiliter agitis & frenata aliquantulum caca cupiditate, quæ vos adhac agenda stimulat, recta judicium rationis advertite. Si enim detestabile jureq; datum est, pro qualibet munere vel mercede beneficia dari, sive id munus à manus sit, sive à lingua, sive ab obsequio, quis non intelligat, execrabilis esse, magisq; nefarium, violentiæ potentiae secularis impressione sibi assentatorum impulsu, jam ferè omnia vendicantis, in Ecclesiasticarum dignitatum titulos intrudi. Habet sanè illa ambitio, quæ ad Ecclesiasticos honores, prioribus artibus quamquam malis nitiur, aliquam suam nequitie, non dico excusationem, sed saltrem viriosum colorem vel pallia.*

palliationem. Primum quidem viā modētiōre procedit, deinde, quia pro eo, quod ambīt, quamvis in digno sceleratōg mercatu aliquid rependit. At illa, quenāhīl sibi de suffragantibus conscientia meritis, sōlis minis, atq; formidine temporalium potestatum ad ardua Ecclesiā culmina praecepserunt, quo colore vel pallio justitiae suā potest iniquitatē protegere, cum illo moliantur ingressu iā domum DEI sanctissimā introducti, quo in gradū seculariū hominū, nemō nisi iniquē introduceretur? &c.

IX. Irrepit ambitionis hoc vitium in Ecclesiam, cūm prima ejus adhuc ponerentur fundamenta, neque completam adhuc formam ea haberet. Ipsi aliquando Apostoli inter se disceptaverant, quiseorū major esset? quos proinde ad humilitatem exhortari oportebat, uti videre licet apud Marcum Evangelistam cap. IX. v. 34. Tām antiqua est de primatu contentio. Apostolorum qui dicuntur esse successores Episcopi non minus in hoc quoque vitio successores, quod ostendunt ea, quā de c̄reta fuerunt in Concilio Niceno can. 6. Antiocheno can. 9. & 13. & 22. Constantinopolitano can. 2. & alibi passim, quibus ambitioni ita occurritur, ut nullus Episcopus ultra propriam diocesis in alienas Ecclesias invadere, & in eis statuere quicquam præsumat. Nec contineri tamen his canonibus semper potuerunt ambitionis Episcoporum spiritus. Cūm enim post ista jam decreta Dioscorus Alexandrinæ Ecclesiæ diaconus Apocrisiarium Constantinopoli ageret, pro Episcopo Alexandrino veteres reluscitavit controversias, statuendo Episcopi Alexandrini hoc esse axioma, ut præsideret omnibus Orientis Ecclesiis, ut pote, qui primus esse sciretur post Pontificem Romanum, qui Occidentalibus præsisset quibusdam Ecclesiis, Antistes. Cumque refragaretur Episcopus Antiochenus, & negaret, ex Canonum Niceni & Constantinopolitani Conciliorum præscripto subjici debere Præfuli Alexandrino, Synodus noviter congregata ea, quā in utroq; illo Concilio decreta fuerant, confirmavit, ut id ex Theodoreti epistolis res fert Baronius ann. ccccxxxix. n. 42.

IX. Et hāc ambitione plurimi deinceps alii in Ecclesiā Episcopi ita infesti fuerunt, ut magna inde lēpenumerō ad ipsam fidei professionem redundaverint damna. Est enim, ut Bernhardus serm. 6. in Psalm. 90. delicit, cupiditas radix iniquitatis, ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum erugo, tinea sanctitatis, excacatrix cordium, ex remedio morbos creans, generans ex medicinā languorem. Sanè varias hæreses ex superbia primum & ambitione ortas esse una est Ecclesiæ Patrum sententia. Omnia, inquit Augustinus de genesi contr. Manich. lib. 2. c. 8. hæreticorum mater superbia. Sic & Hieronymus ad Ose. 5. Hæretici matrem habent iniquitatis sua superbiam, dum semper altiora se scire jactitant,

& in Ecclesiæ contumeliam debachantur, ac excessum sibi scientiam pollicentur. Et Bernhardus serm. 65. super cantic. Omnibus hæreticis unam semper, dicit, tuisse intentionem, communem scientiam refugere, ne cateris aequales astimentur: *occulta & nova exquirere, quæ dum alii nesciunt, apud imperitorum mentes de scientia singularitate, gloriensur ipsi, seu gloriam capient.* Cùm tamen omnia, quæ sunt & docentur ab Episcopis & Ecclesiæ Doctribus, ad divini numinis gloriam & Ecclesiæ salutem, nequaquam verò ad propriam cuiusque laudem & promotionem ulteriorem vergere debeant. Rectè Hieronymus in epist. ad Galat. Videas plerosq; de Scripturâ inter se contendere, & athleticum scamna DEI facere sermonem. Invicem provocant, & si vici fuerint, invident, inanis quippe gloria cupidis sunt. Videas plerosq; (quod etiam Tullius ait) libros suos de contemnenda gloria inscribere, a causa gloriae proprii nominis titulos pranotare. Interpretamur scripturas, sàpè verius stylum, quæ digna lectione sunt, scribimus: Et nisi Christi causâ fiant, sed memoria in posteros & fama in populos, totus labor irritus fiet, & erimus quasi tympanum sonans & cymbalum concrepans.

X. Nec difficile erit ex antiqua historiâ id, quod dixi, exemplis comprobare. Quid enim aliud impulit Arius ad blasphemam istam suam hæresin, quâ tota Ecclesia miserè per tot annos afflita fuit, excogitandam, nisi execranda ambitio? Eodem tempore, inquit Theodoritus histor. Eccles. lib. I. c. 2. Arius, qui in presbyterorum ordinem erat adscriptus, & cui sacerorum voluminum expositio commissa erat, cùm Alexandrum videret Ecclesiæ administrationem suscepisse, livoris impetum ferre non potuit; sed invidia stimulis exagitatus, contentionis, ac discordia causas aucupari cœpit. Et columnas quidem adversus illum contexere nullas poterat, cùm vitam ejus & conversationem omni laude dignam videret. Invidia tamen eum quiescere non sinebat. Hunc igitur nactus demon veritatis inimicus, ejus operâ Ecclesiam misere ac periturae cœpit. Persuasus enim illi, ut Apostolica Alexандri doctrina palam contradiceret, &c. Aërium eodem animi fastu turgidum perniciose dogmata sparisse, scribit Epiphanius hæres. 75. his verbis: *Aërius quidam ingenti perinde damno in mundum introductus est, furis quibusdam percitus & insolentia majorem in modum elatus.* Etenim hæreses omnes pessimo ex eorum, qui ab initio usq; ad finem extiterunt, consilio profectæ sunt: *Sive illos gloria cupiditas aut arrogantia, sive voluptatum libido, sive aliorum amulatio, sive commotio quedam animi aut temeritas impulerit.* A Diabolo porro omnis illa est inficta cæcitas, non quod hic invitum ac nolentem decipere quempiam possit, sed quod unusquisq; peccati sibi causa atq; autor sit.

XI. Sic & de Thebuthe ex Hegesippo refert Eusebius lib. 4 hist. Eccles. cap. 22. Ecclesiam ante eum virginem dictam fuisse, propterea quod vanis ser-

sermonibus nondum corrupta tuisset, Thebuthem autem, indignè ferentem, quod minimè creatus esset Episcopus, eam occultè vitiare esse aggressum, inducētā pestilentī doctrinā, quam ex septem sectis populi Judaici conflaverat, uti exponit Henricus Valesius. Et de Valentino Tertullianus lib. adversus Valentini, cap. 4. Speraverat Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio; sed altum ex martyrii prerogativā loci potum indignatus, de ecclesia authenticā regula abrupte, ut solent animi proprietatu excūt, presumptione ultioris accenāt, ad expugnandam conversus veritatem, & cujusdam veteris opinionis sermonem nactus, Colarbaſo viam delineavit, &c.

XII. Ambitionem vero hanc sine dubio maximoperè fovit Concilium Constantinopolitanum IV. anno Christi DCCCLXIX, celebratum can. 14. perq; eum nutriendo eō perduxit, ut Episcopi principibus pares deinceps pares haberentur. Verba Canonis hæc sunt: *Qui divinā gratiā Episcopalem sortiuntur dignitatem, ordinem cœlestis hierarchie referunt in terris. Quare merito sancimus, ut digno in honore tam à principibus, quam à ceteris omnibus habeantur. Non oportet itaq; ut principibus vel viris militari dignitate præeditis obviam longissimè procedant ab eorum Ecclesiis: nec à muli equisve descendant in occursu, aut timide abjecte q; ante genua procidant, velut adoraturi. Imò vero non accedant ad mensas secularium principum, sed cum omni modestiā, quæ spiritualem deceat dignitatem, officia omnibus & debita tribuant, cui vestigial, vestigial: cui honorem, honorem. Dummodo Principes & pii Imperatores agnoscant sibi aquales Episcopos, ut liberè audeant reprehendere in re sparsaq; & principes & ceteros, qui militari honores fruuntur, si quid peccaverint. Si quis vero Episcopus post hanc sanctionem suam de honestate ruerit dignitatem, cadens ab honore sibi per canones debito, viixerit q; abjecte secundum veterem & aggressum consuetudinem, amoveatur per annum, & princeps, qui in causa fuerit, excommunicetur per biennium.*

CAP. X.

*Episcopum non debere esse contentiosum, nec inimicum,
& irreconciliabilem.*

I.

Naturalem esse hominibus ad dissentendum facilitatem, inquit Ulpianus in l. 17. § 6 ff. de recept. arb. quia scilicet nec sensus nec intellectus inter homines ejusdem sunt qualitatis atque conditionis, & prona hinc ad dissentendum existunt ingenia. Quod si accesserit opinio, dum unusquisque se prudentiorem & sapientiorem credit, ingenti incremento augabitur ista facilitas, teneatque exferet haud paulo promptius. Fac

i 2

porrò

porrò stomachosorem aliquem esse, & in iram provolutum atque effusum, omnia ille in adversarium, quem sibi finget, maledicta & convitia, congeret, nec aliter vel existimationem suam, vel opinionem, quam sovet, sustineri posse putabit, præterquam per contumelias & injurias atrociores. Omnes proinde ille captabit occasiones, quibus ægrè facere possit dissidenti, examinabit ejus vivendi rationem, facta, dicta, gestus, mores, & à prima pueritiâ ætates omnes, in quibus vel exaggerabit, quod est exiguum, vel depravabit, quod ex te quidem sincerum, nonnullam tamen speciem habet mali.

II. Possunt hæc, quanquam valdè atrocia sint, utcunque tolerari in illis, qui in secularibus negotiis versantur, neque ex fæcerdotio professionem & munus sustinent; at verò etiam inter illas personas, quæ Ecclesiæ suum addixerunt ministerium, & inter summos quidem præfectos tales reperiri, dolendum maximoperè est, & sine acerbissimo animi sensu vix cogitandum. Quantas enim calamitates per contentiones, dissidia, æmulations, zelum intempestivum, affectus inordinatos, aliosque errores rāvæ ~~acutissimæ~~ Ecclesia perpessa fuerit, pleni sunt historiarum libri. De intelīnīs his Christianorum in Ecclesia, præsertim verò Doctorum concertationibus statuendum omnino est, quod longè plus detimenti afferant, quām externa hostium, quæ & ipsæ exinde sæpè obortæ sunt, persecutions. Invenitque & hīc locum, quod de civilibus dissensionibus scribit Herodotus in Utran. *Seditio intestina tanto gravius est malum bello, quod à consentientibus civilibus geritur, quanto ipsum bellum pace.* Quo respexisse videtur Constantinus M. Imperator in orat. ad Episcopos, dum ait: *Intestina seditio Ecclesia DEI mihi quidem omni bello & concertatione gravior ac periculosior videtur: nec externa res tantum animo meo dolorem afferunt, quam hoc negocia;* apud Euseb. lib. 3. de vit. Constant. cap. 12. Sozomen. lib. 1. cap. 19.

III. Et quis enim verò sine animi perturbatione expendere penes se poterit immanem istam cladem, quæ ex hæresi Arianâ toti Christianorum Ecclesiæ fuit illata? Originem ejus his verbis recenset Eusebius de vit. Constant. lib. 2. cap. 61. Florebat populus DEI, & cum alacritate quādam ac tripli studio honestis actibus incumbebat. Nullus erat fortius metus, qui perturbationem afferret, quippe cū DEI opt. max. beneficio amena & profunda pax Ecclesiam undiq. communiret. Sed enim invidia nostris bonis insidias struens subsederat. Quæ primum quidem intrò irrepens, postea in medio Sanctorum cætu tripludiavit. Tandem verò Episcopos inter se commisit, tumultum & altercationem inter eos excitans, divinorum dogmatum obtenuit. Exinde tanquam ex levi quadem scintillâ gravissimum exarsit incendium. *Quod quidem ab Ecclesia Alexandrina velut a capite exorsum, uni*

0000

3

versam posthac Ægyptum & Libyam & ulteriorem Thebaidem peragravit. Sed & reliquas Urbes ac provincias depastum est: adeò ut non solum ipsos Ecclesiarum Antistites verbis inter se digladiantes, verum etiam plebem ipsam discissam cernere liceret, aliis horum, aliis illorum partes amplectentibus. Porro rerum, quæ gerezabantur, spectaculum co usq; processit indignitatis, ut in meo infidelium theatris, divina prædicationis venerabilis doctrina turpissimo risu ac ludibrio traducetur. In sequentibus refert miseram Ecclesiarum distractionem, & quam difficile fuerit Constantino hæreticos pravitates compescere, & dissidia ista finire.

IV. Nec malum id uno in loco facile coercetur, sed ab Urbe ad Urbem, à vico ad vicum, à provincia ad provinciam pedetentim vagatur, & dissidium ubique excitatur exitiosum. Simulatq; aliquis ex sua civitate, quæ hæresi istâ jam infecta est, ad aliud se oppidum quâcunque ex causa contulerit, sermones mox facit, de nova ista, quæ nunc in publicum spargitur, doctrinâ, eam vel laudans vel refutans, interim tamen auditoris animum graviter percellens. Nec sibi ipsi deest Novator, uti communiter dicit hodiè solet is, qui novam excogitavit fidei regulam aut expositionem. Dabit is tempestivè ad alios Theologos alibi degentes literas, exponet occasionem controversiæ nuperè obortæ, suamque sententiam firmabit argumentis quibus poterit fortissimis: rogabit admodum submissè & cum quadam humilitatis specie eorum judicium & iugis, leque vi conscientiæ suæ diversum docere non posse sanctè asleverabit. Etsi verò non omnes sibi inveniat consentientes, erunt tamen nonnulli, qui dum honori sibi ducunt, in re tali judicium suum exquiri, facile in novam istam sententiam descendenter, & novos quærenti addent stimulos, simulque cum illo dissentientes petulantissimè insecatabuntur.

V. Longius nunc excurrere non libet, nisi ad illam, de qua supra dixi, hæresin Arianam. Erat presbyter in aulâ Constantinopolitanâ, professio ne quidem orthodoxus, sed mente Arianus, Imperatori cæteroquin oppido charus, quod ab sorore ejus Constantiâ viduâ Tyranni Licinii commendatus esset. De eo sic scribit Socrates lib. 2. hist. Eccles. cap. 2. Presbyter ille testamentum & mandata, quæ Constantinus moriens ipsi commiserat, Constantio Imperatoris filio obtulit. Ille, cum in testamento, id quod maximè cupiebat, scriptum esse comperisset, Orientis enim imperium testamento ei tradebatur, presbyterum magno in honore habuit, multumq; autoritatis ei concessit, & ut fidenter ac liberè in palatium ingredereetur, præcepit. Hac igitur licentia presbytero concessa eum brevi familiarem reddit, tum Imperatoris Conjugi, tum ejus eunuchis. Eâ tempestate præpositus erat regii cubiculi eunuchus quidam, nomine Eusebius. Huic presbyter persuasit, ut Opinionem Arii amplecteretur. Quo factum est, ut ceteri etiam eunuchi in eandem senten-

tentiam adducerentur. Sed & ipsa Imperatoris Uxor & spadonum & presbyteri hortatu Arii partibus sese adjunxit. Nec multo post ad Imperatorem ipsum pervenit hac questio. Paulatimq; evulgata primum quidem ita innuit, qui in palatio militabant. Postea vero ad ipsum quoq; Urbis regia vulgus permanavit. Et in palatio quidem cubicularii una cum mulierculis de hoc dogmate disputabant. In Urbe vero per singulas prope domos bellum quoddam dialecticum gerebatur. Porro hujus mali labes alias quoq; Urbes ac provincias brevi corripuit. Atq; instar scintille ex parvis orta principis controversia audientium animos ad maximam contentionem excitabat. Singuli enim dum causam tumultus percontantur, occasionem disputandi statim habebant: cog, ipso, quo percontabantur, tempore rixas inibant, &c. Sic & Sozomenus lib. 3. c. 1. Hinc rursus crebrae de fide disputationes & privatim & publicè, simulq; contumeliae & similitates ortae. Quod de communicatione cum aliis Theologis & Doctribus dixi, id refert Eusebius de vit. Constant. lib. 2. cap. 62. Nam qui Alexandria erant, inquit, Legatos ad singularum provinciarum Episcopos dirigebant. Iste vero in alterutram partem discissi, seditioni quoq; adjungebantur.

VI. Exempla alia veteris Ecclesiæ, & eorum maximè, qui insigne in ea nomen meruerunt, & pro lumini bus habentur, quoties intueor, toties fixus animo hæret dolor, inventos inter eos tuisse, qui invidiâ, emulatione, irâ, contentione, supplantatione, inimicitia, hostilitate, odio inflammati ipsam sœpè turbarunt Ecclesiam, suisque affectibus perciti scandalum maximo cum proximi damno dederunt. Perquam celebres eadem ætate fuerunt Johannes Chrysostomus, Theophilus Alexandrinus & Epiphanius Cypr. Episcopus. Sed pudet referre, quantæ inter eos sese exseruerint similitates, & quam acerbè se invicem infectati fuerint. Docti & eruditi fuerunt pariter omnes, & ex doctrina nobiles atque clarissimi, sed Epiphanius simplicitas, Theophili versutia, atq; Chrysostomi iracundia impedimento fuerunt, quo minus coalescere inter se potuerint eorum animi, in quorum coniunctione tamen salus Ecclesiæ posita videbatur.

VII. Theophilus odium conceperat adversus Chrysostomum ex eo, quod cum fratribus, qui Longi dicebantur, quosque Theophilus infestabatur, communicasset. Et tum cogitare cœpit Theophilus, qua ratione Chrysostomum Episcopatu dejicere posset. Cumq; consideraret, ut orationibus Sozomeni ex lib. 8. cap. 14. magno sibi emolumento fore, si Epiphanius Salaminis in Cypro Episcopum participem & consortem consiliorum suorum haberet, virum ob virtutis reverentiam omnium sui temporis clarissimum, eum sibi amicum adjunxit. — — Ex potentioribus vero & ex Clero hi, qui Johanni privatim infensi erant, cum intellexissent, Theophilum id agere, ut Joannem Episcopatu exueret, ipsi quoq; operam suam ac studium contulerunt,

utq;

utq. Constantinopoli maxima Synodus fieret, procurarunt. — Nec multo post Epiphanius cum primus ex Insula Cypro solvisset, ad locum haud procul ab Urbe Constantinopolitana, quem Septimum vocant, adplicuit. Factaque oratione in Ecclesia, quae illuc est, in Urbem introivit. Eum ingredientem Jo-
hannes occursum Cleri totius honoravit. At verò Epiphanius perspicue de-
claravit, quod calumnias adversus Johanneum concinnatis fidem habuisset. In-
vitatus enim, ut in edibus Ecclesiasticis manere vellet, nequitquam aquievit.
Et cum Johanne quidem congregari penitus detrectavit; privatis quidem con-
vocatis Episcopis, qui tūm Constantinopoli morabantur, ea qua adversus libros
Origenis decreta fuerant, illis ostendit. — Porro Johannes adhuc nibi-
lominus reverentiam exhibebat Epiphanio, eumq. hortabatur, ut collectas sè-
cun celebaret, & contubernalem ipsum habere vellet. Verum Epiphanius
se neg. ejus domo usurum, nec cum eo oraturum esse respondit. Post multa,
qua acciderunt, & turbas dederunt, addit Sozomenus cap. 15. Aliud præterea
quidpiam audi vi, quod multorum sermonibus etiamnum circumfertur Johanne-
num quidem Epiphanio prædictissime, illum in navigatione esse moriturum: Epi-
phanium autem prænuntiasse Johanni abdicationem Episcopatus. Nam dum
inter se dissiderent, Epiphanius quidem Johanni scriptissime dicitur: spero te ne-
quaquam Episcopum esse moriturum. Johannes vero rescripsit Epiphanio:
nec ego spero te in Urbem tuam ingressurum esse. Idque utrumque contigit.
Nam & Chrysostomus in exilio, & Epiphanius, dum Cyprum redire inten-
dit, in itinere mortuus est.

VIII. Et si verò Johannes ille Chrysostomus insignis Ecclesiæ Doctor
fuerit, & laudabilem in conservanda orthodoxa fide operam præstiterit,
negari tamen nequit, iracundiorem eum, & quo rigidiorem, nonnunquam
& inflexibilem & irreconciliabilem, adeoque imprudentiorem fuisse, quam
pro statu Ecclesiæ lieuerit. De eo & Severiano Gabalorum in Syria Epi-
scopo refert Socrates lib. 6. cap. 11, similitatem inter eos ex prava aliquo-
rum verborum interpretatione obortam fuisse, eamque tantum in animo
Johannis excitasse odium, ut nec congregari cum eo sibi putaret esse honori-
ficum, donec tandem sunt verba Socratis, *Eudoxia Augusta in Ecclesia Apo-*
stolorum, Filium suum Theodosium tunc temporis admodum puerum ad genua
Johannis abiciens & per illius caput crebro eum obtestans, agrè ab illo obti-
nuit, ut Severianum in amicitiam suam admitteret. Ad hunc modum ambo
isti palam quidem reconciliati sunt intus tamen alter adversus alterum exul-
cerato animo permansit. Id verò dolendum valde est, propter Johannem
istum ruptum fuisse in ipsa Ecclesia Constantinopolitana concordiae vincu-
lum, ita ut Johannitæ dicerentur nonnulli, qui ejus partes sequebantur,
quive post ejus abductionem in Exilium, Ecclesiam & Curiam incendio de-
struxerunt, ut idem refert Socrates d. l. 6. cap. 18.

IX. Quan

IX. Quantæ propter paschale festum excitatae in Ecclesia fuerint turbæ, ex historia Ecclesiastica constat. Christiani enim Asiatici antiquissimis temporibus pascha celebrarunt perpetuo in plenilunio, unâ cum Iudeis, & allegarunt Johannem Evangelistam, à quo hanc consuetudinem acceperint. Occidentales verò paschatos solennitatem non nisi die Dominicâ celebrarunt, ne cum Iudeis commune quid habere viderentur, atque iidem pro suâ sententiâ allegarunt S. Petri consuetudinem. Parvi videri potuisse ista discepantia, sed ingentes in dissentientium animis excitatæ adversitates & odia. Non enim pro adiaphoris istas habebant festorum solennitates, sed adversus Pauli regulam condemnabant se invicem ob neglectos temporum articulos. Præ reliquis autem violenter admodum egit Victor Pontifex Romanus, qui tantilli discriminis causâ Græcos excommunicavit. Cui tamen non Asiaticæ tantum, sed & Gallicanæ Ecclesiæ restiterunt, quæ quamvis pari cum Romanis more eodemque die pascha servarent, ambitionem tamen illam non ferendam arbitratae sunt, ut unus propter tantillum negocium tot tantasque Ecclesiæ, emiso anathematis fulmine, à Christiana communione excluderet. Vid. Euseb. lib. 5. hist. Eccles. cap. 23. & 24. Nicephor. l. 4. c. 36. 37.

X. Sic & propter Nestorii hæresin acerbissima inter Episcopos extiterunt odia. Cyrus Alexandriæ Episcopus, & qui cum eo faciebant, Nestorium deposuerant. Quo facto illi, qui cum Nestorio lentebant, seorsim Concilio congregato vicissim Cyrrillum & Memnonem Ephesinum deposuerunt. Supervenit Johannes Antiochenus. Qui cum ea, quæ gesta fuerant, cognovisset, Cyrrillum averratus est, tanquam totius tumultus auctorem, quippe qui temerario ac præcipiti impetu ad depositionem Nestorii prorupisset. At Cyrus adjuncto sibi Juvenale, Johannem ulcisci volens, ipsum quoque Episcopatu discinxit. Porro Johannes Antiochiam reversus, convocatis plurimis Episcopis, Cyrillo, qui jam Alexandriam redierat, Episcopatum abrogavit. Rem totidem verbis refert Socrates lib. 7. cap. 34. Nec malè igitur Eusebius lib. 8. cap. 1. cùm de incrementis Ecclesiæ Christianæ verba fecisset, fontem & originem omnis mali deinceps exorti resultare ait ex dissensionibus & collisionibus Episcoporum & particularium Ecclesiarum. Sed, inquit, cùm ex nimia libertate in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus, cum alter alteri invidere atq. obrectare cœpisset, cùm inter nos quasi bella intestina gereremus, verbis tanquam armis quibusdam hastisq. nos mutuo vulnerantes, cum Antistites adversus antistites, populi in populos collisi, surgia ac tumultus agitarent, deniq. cùm frans & simulatio ad summum malitia culmen adoleverisset, tum divina ulti levibrachio, ut solet, integro adhuc Ecclesia statu & fidelium turbis liberè convenientibus sensim ac moderate in nos cœpit animadvertere.

XI. II

XI. Illud gravissima sæpè Ecclesiis intulit damna, quod rigidè nimis & austero more ac modo primis mox congressibus excepti fuerint dissidentes. Prudentiā tūm opus est, & omni studio laborandum, ne excandescant animi, & eō adigantur, ut nulla spes sit eos convincendi. Est enim hoc pertinacia plerisque mortalium ingenii insitum, ut quod semel quo-cunque casu, & quācunque ratione etiam imprudenter & parum confidere pronunciaverint, ne errasse videantur, nunquam tueri desinant, etiamsi convicti fuerint, se perperam pronunciasse. Adeoque fieri potest, ut ex parvis initii vastissimum excitetur incendium, utve malum, quod initio contemnendum videtur, paulatim autem tandem erumpat in grave discriminem tranquillitatis Christianæ. Pessimè autem affecti sunt illi, qui qualicunque offensiunculâ acceptâ, ita mox exardescunt, ut aliorum quoque odia in fratrem offendentem concident, & quod id impetrent facilius, hæresecos illi notam impingunt, non ignari, hoc genus calumniæ omnem bonam destruere opinionem, & vel amicissimos evertere. De Theophilo Alexandrino, cuius supra mentionem feci, refert Sozomenus, lib. 8. cap. 12, quām compresso odio imbutus fuerit, adversus fratres, qui Longi vulgo dicebantur, & quantâ cum contentione animi laboraverit, ut promiscuè omnibus exos reddebet. Ille, inquit, petitâ ab eis veniam sic eos dimisit, quas innullâ deinceps molestiâ illos affecturus. Intrase tamen frenens indignabatur, & malo eos afficere cogitabat. Cumq; dubius hereret, quoniam modo nocere posset hominibus, qui nihil possidebant, & qui omnia præter philosophiam apernabantur, quietem illorum turbare statuit. Et quoniam ex sermonibus, quos cum illi habuerat, dum apud ipsum essent, norat illos, n: potest Origeni sectatores, opinionem illorum, qui DEUM humanâ formâ præditum esse dicebant, reprehendere, commisit eos cum multitudine monachorum, qui aliter sentiebant. Hinc verò gravissima contentio inter monachos exorta est. Neg. enim compostis ad modestiam disputationibus persuadere sibi invicem conabantur, sed mutuis se convitiis incessibant. Tales in Ecclesia Christianâ omni ætate fuerunt multo plures, qui corrupti privatis affectibus, interdum id, quod bonum est, dixerat malum, quive verba obiter & minus considerate pronunciata, nec hæretica tamen, omni execratione digna judicant, inque sensum planè perversum torquent, & malevolo prorsus animo interpretantur.

XII. Nec vero hæreticus illico est, qui qualitercumque errat in doctrina. Et ut maximè quis talis sit; non est tamen propterea ille protinus maledictis & probolis compellationibus excipiendus, quandoquidem hisce pharmacis nunquam sanari solent ægroti, sed potius redduntur insanabiles. Cordatè & prudenter, lobrièque defendenda est veritas, dandaque opera, ut solidis rationibus atque Scripturarum testimonis & do-

k

cean-

ceantur errantes, & vincantur pertinaces. Maledicentiā & verborum acerbitate plerumque evertitur ipses emendationis, quam de dissentientibus concipere & fovere quis potest. Leniter & verecundē ac sine detestatione nimia, tineque opprobriatione acerbâ reprehensionis agendum est cum illis, qui in errorem rapiuntur primum, nec ea, quæ vera sunt, cernere illico possunt. Per istiusmodi enim lenitatem multo facilius ad rectiorem viam revocari poterunt, quam si probris omnibus maledictisque eos quis insequatur. Multo minus ergo audiendi erunt, qui diris imprecationibus in quo sunque à se dissentientes sœviunt, & hâc ratione convinci eos posse sibi persuasum habent, cum per violentas ejusmodi impugnationes magis invalefcere soleat pertinacia, & facile in rabiem definat. Nec improbanda tamen idè erit durior procedendi ratio & acerbior animadversio, sicut biemendari nolit, & ~~autem~~ fiat, leque ipsum ab Ecclesiæ corpore absindat heterodoxus.

XIII. Laudanda est modestia & prudentia veterum quorundam Ecclesiæ Doctorum, qui connivendum quandoque putarunt pravis opinioribus, non ignorantes, severitatem & rigorem parum proficere, si cum homine pertinace & in proterviam prolapsò res fuerit, nec ergo tam rigidè, nec tam excusè, sed languidius & remissè occurrendum errori, adeoque plus posse interdum dispensationem, quam severum & alperum refutandi genus. Ex Justini *dial. cum Tryph.* constat, suisse s. à atate nonnullos Christianos, quibus Mosaici ritus in usu fuerunt, & illos quidem à quibusdam aliis ita exclusos, ut neque hospitiis quidem cum illis communionem haberet auderent. Id verò improbat Justinus & statuit, debere illos judaizantes, si in Christum credant, & cum aliis Christianis vivere tranquille velint, recipi, & ad communionem rerum omnium, ut eorum viscerum homines ac fratres admitti. Quo eodem pertinet, quod testatur & scribit Irenæus apud Eusebium lib. 5. cap. 24, dum reprehendit Victorem Pontificem Romanum iracundè nisi & valde intemperanter adversus dissentientes agentem, varietatem sive discripaniam illam, quæ etiam ante Victorem de die paschatos inter Episcopos Asiae & Ecclesiam Romanam fuerat, non obstat, quo minus pacem & concordiam inter se colerent, adeò ut vela de causa, vel propter ullam etiam alias varietates, nullus Asia Episcopus è communione Romanâ unquam rejetus sit. Imò verò Polycarpum, cum tempore Aniceti Papæ Roman adventasset, postquam de rebus, de quibus inter eos non conveniebat, inter se disservisset, quamvis uterque in sententia persistisset, concordiam tamen utramque illibatam inter se servasse, unaque communicasse, & Anicetum ex reverentia, quâ Polycarpum prosecutus est, ei concessisse, ut in Ecclesia sua Eucharistiam celebraret,

XIV.

XIV. Cyprianus Afer, quem Prudentius in hymn. Orbis magistrum vocat, in capitali illâ controversia, quæ de anabaptismo tûm exorta fuit, tantâ verecundiâ & modestiâ usus fuit, ut cum suis in Africa coëpiscopis à reliquo totius Orbis diversa pariter & adversa sentientibus Ecclesiis patienter & firmiter animi charitatem dilectionis vinculum honorem collegii, concordiam sacerdotii nihilominus servaret, neminem judicans, aut à jure communionis aliquem, qui aliter sentiret, amovens, multo minus rigoris vel censuræ suæ obstinatione, Catholicæ Ecclesiæ pacem aut unitatem abrumpens. Inhæsit opinioni suæ & causam suam acriter defendit, nec peculiarem tamen cœtum constituit, sed unitatem Ecclesiæ servavit, nec alios, quod sibi consentire nollent, exclusit, bono ad posteritatem exemplo, fratres alicubi dissentientes & quo animo interim ferendos, nec anathematis fulmine illico feriendos esse, quod gnavoriter inculcat idem Cyprianus lib. de bono patientiæ, quem occasione hujus controversiæ, & quod magnum in Ecclesiæ dissidium metuere, conscripsit. Taceo nunc alios, qui dum in diversa & contraria plane sententias abierunt, eam tamen animi moderationem adhibuerunt, ut communionis & fraternitatis jura integra servarent.

XV. Certè hâc viâ prudentiores Ecclesiæ primitivæ patres incesserunt, eainque adversus dissentientes & errantes inlistendam sibi esse censuerunt, adeò ut fratres etiam nominarent quandoque, quos perstare in pervicaciâ & obstinato animo esse non ignorabant. Erant sanè Donatistæ tales, quibus Imperatores nihil ex moribus, nihil ex legibus commune esse cum cæteris voluerunt, in l. 4. Ch. baret. Et eos tamen fratrum titulo dignatus est Optatus Milevitanus advers. Par men. lib. 1. dum ait : Ne quis dicat me inconsideratè eos fratres appellare, qui tales sunt, quamvis & illi negent, & omnibus notum sit, quod nos odio habeant, & nolint se dici fratres nostros. Nos tamen recedere à timore DEI non possumus, quos hortatur Spiritus S. per Esaiam prophetam dicens : Vos, qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini : si quin nos odio habent & execrari, & nolunt se dici fratres nostros, vos tamen dicite eis, fratres nostri estis. Idem scribit Augustinus in epist. ad Macrobius Episcopum partis Donatistarum : Fratrem verò, ut vocem, inquit, non te latet praceptum nobis esse divinitus, ut etiam eis, qui negant se fratres nostros esse, dicamus, fratres nostri estis. Idem in collat. 3. Carthag. cap. 242. Quotidiè etiam quibusdam non nobiscum in una Ecclesia nec in iisdem sacramentis constitutis dicimus Frater. Ante eos scripsit Cyprianus, optare se & consulere pariter, ac suadere, ut si fieri potest, nemo de fratribus pereat, & consentientis populi corpus unum gremio suo mater gaudentis includat. Quibus verbis à fraternitatis vinculo ne errantes quidem excludere voluit.

k 2

CAP.

CAP. XI.

Avaritiam grande esse in Episcopo vitium.

I.

Avaritia quantum sit in hominibus promiscue omnibus vitium, quantoque eā proveniant mala; & sacræ paginæ inculcant subinde, & veterum sapientum dicta. Idololatriam vocat Apostolus *Coloſ. III, 5.* Ideò, quod avari pecuniam colant ut Deum. Iſum autem deum Mammona dixit Salvator *Matth. VI, 24.* vocabulo Syriaco, quo universa, quæ ad rem pecuniariam pertinent, complecti voluit. Atque istam idololatriam radicem esse omnium malorum, definit P̄aulus, *1. Timoth. VI, 10.* quod infinitas easque nocentissimas cupiditates secum trahat, quibus leiplos avari excarnificant eosque, ut fidem etiam & salutem suam abjiciant. Avaro enim nihil est scelestius: nihil est iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet, quoniam invictâ suâ projecit intimâ sua, ait autor *Ecclesiast. X, 19.* 10. h. e. uti interpretatur Franciscus Junius, nihil minus, quam suam ipsius animam possider, cum eam perinde expopiat, ac si ultra omnes hominis partes etiam ultimæ conclamarent, nullam animæ rationem haberi a se.

II. In eandem sententiam plurima prostant sanctorum Ecclesiæ Doctorum dicta. Chrysostomus *homil. XI. in epist. ad Roman.* postquam plura in avaritiae vitium ejusque reprehensionem concessisset, tandem subiicit: *Quaecumq; inveneris mala, sive domi, sive in foro, sive in iudiciis, sive in curiis, sive in regia, sive quocumq; alio loco, hinc omnia videbis nasci.* Sic & Petrus Chrysologus *Serm. 126.* Bella mandat, comparat bellatores, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes destruit, subdit populos, arces urget, vexat cives, — ju. delet, fasq; nefasq; confundit, — fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honestatem dissipat, solvit affectus, innocentiam tollit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicuum subruit, &c. Sed nolo hic compilare ea, quæ ex aliis scriptis Ecclesiasticis passim obvia sunt. Neque aliud ex Gentilium scriptis, quæ ubique consentiunt, adducere nun liber, nisi unicum Sallustii *in Catilin.* dictum auctor & notatu maxime dignum, dum ait: *Avaritia pecunie studium habet, quam nemo sapiens concupivit, ea quasi venenis malis imbuta corpus animumq; virilem effeminat: semper infinita & insatiabilis est: neq; copia neq; inopia minuitur.* Quomodo explicandum sit id, quod ait, corpus hominis avaritiæ effeminari, disputatur apud Gellium *lib. 3. cap. 1.* qui videri potest.

III. Edidit veterem confessionem penitentium ex Codice MS. bibliothecæ

theçæ Colbertinæ Stephanus Baluzius in append. ad Reginonis libb. de Eccl. discipl. num. 6. cuius autor avaritiae mala hoc modo exposuit : De avaritiâ etiam gravissimè reum me esse confiteor, quia contra praeceptum DEI & habenda nimis concupisci & concupisco, & habita nimis avarè retinui & retineo, & proximorum necessitatibus & indigentis non ita subveni & ministravi, sicut debui & potui. Et per hanc in caseris vitiis, quæ ex illâ oriuntur, id est, in prodictione aliorum & maximè senioris secreta & occulta prodendo ac manifestando, & in fraude, aliorum res furtim auferendo, & in concupiscendo & in fallacio mendacia inveniendo & proferendo, & imperjuriis nomen sanctum DEI ac sanctorum illius invocando & perjurando, & in inquietudine, quietum ac tranquillum animum non habendo, & in obdurate cordis contra misericordiam eleemosinarum scilicet largitionem in pauperibus ut debuerâ, & potueram, non erogando satis graviter me peccasse & quotidie peccare confiteor. Quod ait de metis inquietudine, id plenius explicat Hincmarus Remensis in opusc. quod scripsit ad Carolum Calvum Regem de vitiis & virtutib. p. m. 42. Cujus voci, inquit, qui se tradie, fastidiens propria aliena concupiscit, & plerumq. concupita adipisci non valens dies quidem in otium, noctes vero in cogitationes versat. Torper ab utili opere, quia fatigatur illicita cogitatione. Consilia multiplicat, & sinum mentis cogitationum ventis latius expandit. Pervenire ad concupita satagit, atq. ad obtinenda hec quosdam secretissimos causarum meatus querit. Qui mox ut cause aliquid subtile invenisse se estimat, jam obtinuisse, quod concupierat, exultat, jam quod etiam adeptæ rei adjungat, excogitat, atq. ut in meliori status debeat excole pertractat. Quam quia jam quasi possidet & quasi ad meliorum statum adducit, mox insidias invidentium considerat, & quid contra se jurgii moveatur, pensat, exquirit, quid respondeat, & cum rem nullam teneat, jam in defensionem rei quam appetit vacuus litigator elaborat, &c.

IV. Quam verò pudet nostrorum morum, qui sacrâ libris edocti, qui tantis & exemplis & praemissis provocati doctrinam Evangelicam profitemur, nec præstamus. Ad exempla enim & dogmata gentilium si excurrendum nobis sit, quæ copiolè admodum ex eorum libris addisci possunt, fatendum erit, multo acriores addi stimulos ad virtutem, quam solent inferri & percipi ex Christianæ disciplinæ scriptis, cum subit animo, quam turpe sit non id perspicere pectus Evangelicâ luce illustratum, quod perspectum est iis, quibus sola naturæ scintilla prælucebat: non præstare nos, qui sub Christi vexillis militamus pietati, qui stipendium immortalitatis ab eodem expectamus, quod præstiterunt ii, qui nihil hominis à rogo superesse aut suplicati sunt, aut plane crediderunt. Proficitur Flaccus, modestam sine fôrdibus vitæ rationem sibi longè pluris esse quam vel opulentissima regna Asiae, adeò ut eum solum vere felicem credat, cui cum secu-

ritate animi & tranquillitate dii immortales dederint, quod satis est. At verò qui hoc animo sint, inter Christianos reperiuntur oppidò pauci, quibus profectò turpe est à gentilibus superari. Quò magis miror, Ecclesia ministris tām familiare esse id vitium, ut quasi naturale videatur & nativum.

V. Primi quidem nascentis Ecclesiæ sacerdotes & Prælati omnem dilectionem occasionem, et si oblatam, repudiarunt, siquidem pauperibus solebant aut vivi opes suas erogare, aut morientes bona sua in pias causas largiri. Sed nec divites facile ad Clericatum admittebantur aut recipiebantur: & si quis dives ac patrimonio pollens id exoptasset, divitias relinquere & patrimonio cedere tenebatur, aut ex Ecclesiæ bonis nihil omnino percipere. Atque idcirco patres in Concilio Sardicensi congregati can. 13. in constitutis Episcopis diligentissimè tractari jubent, si fortè dives potulatus fuerit. Sed cum exinde gliscente avariciâ, quæ pernicioſissima animorum labes est, nimia habendi cupiditas etiam ipsos Ecclesiastici ærari dispensatores corrupisset, plerique Clerici sacerdotes & diaconi sacrilegâ rapacitate opibus cumulandis incubuerunt, dum Laicos propinquos suos & heredes locupletes reddere studerent. Idque conqueritur Hieronymus ad Rusticum lib. 2. epist. 13. Vidimus, inquit, nuper & planximus Cræsi opes unius morte deprehensoris urbis & stipes, quasi in usus pauperum congregatas, stirpi & posteris derelicas.

VI. Graviter notata fuit illa Episcoporum ex bonis Ecclesiasticis in nepotes suos profusio in Concilio Antiocheno can. 25. Quod si contentus istius non fuerit, & in usus suos res Ecclesia convertat, & illius redditus vel agrorum fructus sine presbyterorum vel diaconorum sententiâ pertractet, sed domesticis, & cognatis vel fratribus vel filiis potestatem concedat: ut hoc modo rationes Ecclesiastice detrimentum capiant, ipse synodo provincia administrationis rationes reddat. Similiter id prohibitum fuit capitulari. lib. 5. cap. 175. Quoniam multi Episcoporum amore propinquorum suorum de rebus sibi commendatis suo aut quolibet amicorum nomine prædia & mancipia emunt, & ut in propinquorum suorum jus cedant, statuunt: & ob hoc & iura Ecclesiastica convelluntur, & ministerium sacerdotale fuscatur, imò à subditis deprivabitur & contemnitur, placuit omnibus, ut deinceps hoc avaricie genus caueatur, fixumq. abbinc & perpetuò mansurum esse decrevimus, ut Episcopus de rebus sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certè in Episcopatu beraeditariâ successione acquisivit, secundum auctoritatem Canonicam quicquid vult & faciat, & cui vult, conserat. Postquam autem Episcopus factus est, quascunq. res de facultatibus Ecclesia aut suo aut alterius nomine quilibet conditione comparaverit, decrevimus, ut non propinquorum suorum, sed in Ecclesia, cui praest, iura deveniant.

VII. Nec

VII. Nec veriti tamen fuerunt ipsi etiam Episcopi Romani contra istas Ecclesiae & Principum constitutiones diversa omnia ipso facto sustinere, suosque cognatos & propinquos ex Ecclesiæ bonis opulentos facere, quos preinde acriter perstringit Alvarus Pelagius lib. quem de planctu Ecclesiæ scripsit, his verbis : *Romani multi pontifices nostri hypocriticali temporis (& jam multa lustra transferunt) licet vicarii Jesu Christi pauperis crucifixi, & successores Petri pauperis pectoris, manu & arte vietum quarentis reie & naviculæ, nepotulos & alios consanguineos clericos nedum ad altas prælationes promovent dirissimas & altissimas, sed etiam ad statum Cardinalatus infios totaliter & indignos, & committunt eis judicare totum mundum, qui regere nesciunt semetipos. Consanguineis autem secularibus procurant & emunt nedum campos, terras, & vineas, & simplicem militiam, sed etiam baronias, comitatus, marchionatus & omnes altos mundi potentatus. Et tales Papa consanguinei, qui ante ejus papatum soli vagabantur per mundum peditando, nunc stipendi militum agminibus incedunt. Qui ante cum mulieribus plebejis aut aliis suis paribus contraxissent, post cum comitissis aut marchionissis aut ducessis contrahunt. Qui ante forsan hyrbo, aut alia ueste humili indutis suis sent post sericis, auratis, & aliis fucatis uestibus adornati incedunt, &c.*

IX. Avaritiam levitatemque Sacerdotum, quies aliâ in aliam transfilunt Ecclesiæ, gravibus olim decretis Ecclesia coercuit ; in primis Concilium Nicænum can. 16. Sardicense can. 1. Carthag. IV. can. 27. Chalcedonense can. 5. Turonense III. can. 14. Meldense can. 30. & alii canones passim. Quanquam autem hoc ad majus Ecclesiæ bonum quibusdam aliquando indulustum sit ; qualia exempla refert Hadrianus II. Pontifex Roman. in epist. 27. quam scripsit ad Episcopos Synodi Duziacensis ; tamen ut id carnali cupiditate & lordido lucri appetitu fiat, omnino permitti nequit. Naturali enim lege prohibitum est, ne quis in Ecclesiæ ministerio intendendo aliud, quam Ecclesiæ utilitatem & Dei gloriam intueatur : non sua quærentes, sed quæ Iesu Christi, inquit, Apostolus, quâ voce omnem omnino à acriter ministerii suscipiendo proposito terreni commodi conjectationem removet. At si Ecclesiæ munera privatæ utilitatis gratiâ suscipere non licet, multo minus licet propter aliquid commodum suscepit dimittere, & ad alia transvolare, quæ pinguiora sunt.

X. In genere vero universæ avitiae species, ab Episcopis procul esse jubentur. Sic enim decretum fuit in Concilio Cabinolensi II. can. 7. Constituit sacer iste conventus, ut Episcopi sive Abbates, qui non insiuctum animarum, sed in avaritiam & turpe lucrum inhabentes, quoslibet homines illatos circumveniendo, contonderunt & res eorum tali persuasione non solum acceperunt, sed potius subripuerunt, pænitentia canonica sive regulari, ut putat turpis lucri sectatores subjaceant, &c. Sic & in Concilio Parisiensi VI.

can.

cap. 13. Quia nonnullos ordinis nostri socios avaritiam turpiter sectari, & meritò à multis reprehendi, & ob id innoxios cum noxiis hāc occasione infamari comperimus: abhinc in commune nos & socios nostros mutuā exhortatione corrigendos esse dijudicavimus. Ita videlicet, ut nec nos in hujusmodi peste avaritia coram DEO peccaremus, nec alii per nostrum malum exemplum detrahendi & in nobis peccandi locum daremus. Verū cùm nullus Christianus thesauros in terrā, sed potius secundum Domini sententiam in cælo recondere debeat, conventum summopere sacerdotibus est, ut ab avaritia peste, quae est idolorum servitus, & cupiditate, qua radix omnium malorum est, suos & sc̄tatores à regno Christi excludunt, se compescant. Quoniam digne non possunt subditis prædicare, ut ab his se absclineant, cùm ipsi his, quod valde dedecus, imo periculosest, mancipaverint. Gravius quippe atrocissimis pestifer aures in illis dannantur, quam in his, qui eorum dictis & exemplis ab his coerceri debuerunt. Solent namq; à nonnullis multifaria occassiones obtēndi, quae necessitatibus nomine palliantur, &c.

X. Quemadmodum autem in duobus maximè articulis sese exerit avaritiae furor, quod immoderatius appetit aliena, aut sua tenacius servat, uti optimè observat Johannes Saresberiensis *in policrat.* lib. 7. cap. 16, ita dubium non est pessimum esse genus eorum, quod & Aristoteles notat lib. 4. *Eth. cap. 1.* qui in utroque peccant, hoc est, qui & dando deficiunt, & accipiendo modum excedunt. Et quidem immoderatius appetit, quisquis quod deest, legem necessitatis excedens & usus exposcit. Tenentur quoque avidius, quæ usui subtrahuntur, & quibus ipsis suum quis fraudat genium. Malè audit apud Bohemicarum rerum Scriptores Albicus Archiepiscopus Pragensis, quod ingenio nimis avido & ad rem attento fuerit, adeò ut in minutissimis quoque rebus ad rem familiarem pertinentibus curiosus & restrictus extiterit. Unicum extremæ avaritiae barathrum eum vocat *Æneas Sylvius in hist. Bohem. cap. 25.* Qui, inquit porrò, claves cella vinarie nulli alteri, quam sibi ipsi credidit, & animalia viventia dono accepta mox vendidit: & quia sumptuosos esse coquos didicerat, abjectam anum popina sua præfecit. Interrogatus aliquando, sonorum omnium quem molestius audiret, maxillarum, inquit, ossa frangentium.

XI. Est enim verò avaritia illa, quâ personæ Ecclesiastice contaminatur, exuberans planè & exceliens, ita ut laicorum omnium negotiatorū cupiditatem superet, imo secularibus universis omnis injustitiae, doli, fraudis & rapina provocatio & incitamentum existat, dum nimis simplices oviculae pastorum suorum exempla imitantes, quæ eos agere viderint, sibi itidem licere arbitrantur. Et hæc est divitiarum natura, ut quo uberioris habentur, eo abundantius animum ad sui semper incrementum majori accendere soleant concupiscentiâ. Ita igitur factum est, loquor cum Nicolo die

lao de Clemangiis de corrupt. Eccles. stat. cap. 3. ut paulatim extincto in cor-
dibus eorum spiritu, frigescente charitate, etenim de devotione, DEI deniq; oblio,
solis terrenis fructibus capessendis inhibarent, sola indignitatibus beneficiisq;
alii emolumenta pensarent. Nulla prorsus hodiernā die in assumendis pasto-
ralibus sarcinis, in curāq; animarum subeundā de servitio diuino, de salute
subditorum edificatione mentio habetur, de proventuum ubertate tantum-
modo & quantitate queritur. Nec verò tantopere quaritur, quantis sit pra-
senti homini & in Ecclesiā rite servantī valor beneficii, quām quid suo posses-
sori longius ocia agensi & perpetuō fortassis ab futuro annuo proventu reddere
valeat. — — Quis enim de qualitate plebis, cui praesse expetit, de moribus
aut vitiis interrogat? Quis humerorum suorum vires librat? an sufferendo
oneri, cui se supponere querit, sufficiat? — imò verò quis hodie pralatorum
non quācumq; viā potest suos unāq; subditos spoliat?

XII. Inde verò factum est porrò, ut pleraque omnia sacra officia ad lu-
crum & quæstum expediantur, præsertim ab iis, qui non de ovibus, sed lanā,
non de grege, sed adipe gregis curam gerunt, ipsam etiam vocem suam in
quæstum conferentes. In mulū ait, Petrus Blæsenfis sermon. 57. notabi-
lis est avaritia Sacerdotum præsertim dum pro quaestu temporali faciunt se or-
dinari: dum in spe vilissima oblationis sacramenta conficiunt, de cado veribus
litigant, sepulturam & baptismum vendunt, nihil gratis impendentes, sed in
univeris suam sequentes avaritiam &c. Salsè & verbis magis penetrantibus
sacrum illum quæstum describit Erasmus centur. 1. adag. 12. Apud
Sacerdotes, inquit, quibus oportebat omnem pecuniam esse vilissimam, & quo-
rum erat, suas dotes gratis acceptas gratis item communicare, nihil non ve-
nale est, nihil immune. Quas non irragēdias morent pro suis illis decimis?
quam odiosè divexant miserabileculam? Non datur baptismus, h.e. non
licet fieri Christianum, nisi numeres. atq; his præclaris auctoritatis fores ingre-
dis Ecclesia. Non comprobant matrimonium, nisi numeres: non audiunt pæ-
nitentium commissa, nisi sperent premium. Sacrificant conducti: non psal-
lunt gratis, non orant gratis, non imponunt manum gratis. Vix procul mota
manu benedicunt, nisi dederis. Non consecrant saxum aut calicem, nisi data
mercede. Quin & illud verè pontificium munus docendi populum quaestu vi-
tiatum est. Deniq; non impertiuunt corpus Christi, nisi numeres. Ut ne dicam
interim, quanta messis colligatur ex litibus, ex dispensationibus, sic enim vo-
cant, ex condonationibus, quas vulgus appellat indulgenias, è conferendis sa-
cerdotiis, confirmandis Episcopis & abbatibus. Sed quid apud istos gratuitum
sit, apud quos emitur & sepulta, etiam in alieno solo? Apud Ethnicos misera
plebi stabar commune sepulchrum, erat, ubi gratis, quos velles, sepelires. Apud
Christianos nec mortuis operiri terrâ licet, nisi à sacerdote tantulum spacii con-
duxeris, & pro precii modo dabitur locus amplius ac magnificus. Si plurimum
nume-

numeraveris, in templo proxime summum altare licebit putrescere: si parcer dederis, inter plebejos sub dio complueris.

XVI. Nec verò in his tantum, quæ ad officium suum pertinet, avaros se præstant Episcopi, sed in aliis etiam rebus omnibus, undecunque lucel-lum aliquod sperari queat, summè attenti sunt, & in omnem aviditatem proni existunt, adeò ut negligant ea, ad quæ ex officio tenentur, & unicè id dent operam, ut habeant, unde aut ipsi vivant lautissimè, aut cognati & familiares ditescant, aut sua saltem expleant desideria planè minus Episcopalia. Perstringit istos perversos suæ ætatis mores Chryostomus in homil. 86. in Matth. dum ait: *Annon poterant etiam Apostolorum tempore & dominus & agri ab Ecclesiâ possideri? non audistis, quia nec has quidem pecunias oblatas & absq[ue] labore collectas per se ipsi distribuendas putaverunt? & cujus gratiâ, nisi quia id multo melius?* Modo autem in procuratores, dispensatores, caupones Episcopi redacti sunt, imò vero istos etiam secularium rerum sollicitudine superant: & quos oportebat animarum curam habere, ea prætermissa sollicitè curant, & quotidie cogitant, que publicanis, quæstoribus villicis curandas sunt. — — Orationibus enim, prædicatione, ceteroq[ue] Ecclesiæ cultu prætermisso, alii vini, frumenti, alii venditoribus totâ virtute colluctantur: hinc quotidiana iurgia, opprobria, convitia & sacerdotum unicuique profanis idonea negotiis imposita sunt nomina &c.

XVII. Nec verò privatis tantum molesta & damna extitit ista Episcoporum *αιχμονερδεια*, sed integras etiam civitates & Respublicas consumpsit. Praeclarè id ex observatione suâ notat, valdeque exagitat Bilibaldus Pirckheimerus Maximiliani I. Consiliarius in epist. ad Job. Bapt. Egnatium, Venetum de censur. Rerumq[ue] Germ. Plurimis, ait, Rebus publicis atq[ue] potentibus fuit olim ornata Germania, quarum major pars pessundata est, cum Tyrannorum violentiâ, tūm regiminis perversitate. Præcipue verò illas afflxit Episcoporum insolentia ac avaritia, non secus ac flamma quadam cuncta hauriens. Cum enim Imperatores prisci, Principum consilio verè pernitioso, jus quod ipsi in civitatibus habebant Imperialibus, Episcopos concessissent, illi haud segniter tanto munere usi sunt, sed cum primùm plebem contra optimates instigassent, brevi eos ubiq[ue] ejecrè, ac inde stulto opppresso populo, omnia sua ditioni subjeceré. Nec certè in tantum numerum excrevissent gravamina Ordinum Imperii, Oratori Pontificio in Comitiis Noribergensis exhibita, anno 1522, nisi plerisque illis materiam dedisset avaritia Episcoporum.

XVIII. Sed nec ullum hodiè expectari poterit ejus rei remedium. Refert Nicephorus Callistus lib. 9. hist. Eccles. cap. 45. Sophronium Paphlago Pompejopolitanum Episcopum gradu motum fuisse, quod avaritiae studio in Ecclesiæ pecuniâ quæstum fecerit. Hunc vero rigorem non admittunt nostri mores, & inter virtutes referri hodiè solet, si quis bonis Ecclesiasticis augen-

augendis suam ponat industriam. Et certè paucis immutatis de Ecclesiæ corruptoribus intelligi poterit id, quod de Reip. eversoribus scribit Sallustius in Catilinâ : Namq; uti pauci verum absolvam per illa tempora qui cung. Remp. agitavere, honestis nominibus, alii, sicut iura populi defenderent, pars, quo senatus auctoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisq; potentia certabat.

CAP. XII.

Negotiationem indecoram esse dignitati Episcopali.

I.

Negociatio promiscuè omnis à clericali qualicunque statu valde aliena est propter fraudem & perjuria, quibus obvia est. Unde negotiatores in infimâ fidelium classe recensentur, quod longè omnium absint à ratione vitae in Evangelio præscriptâ. Epiphanius in calce Panar. num. 24. Negotiatores non admodum probat (Ecclesia) sed in omnium infimo loco constituit. Et Joh. Chrysostomus homil. 22. in Matth. ubi respici jubet volatilia, quæ non vicitant more cauponum & negotiatorum : *Hac enim, inquit, desperatorum omnino professo est.* Ratio hæc optimè deducitur ex Ecclesiastici cap. XXVII, ver. 1. seq. Rei indifferentis gratiâ (i.e. ejus rei, quâ homines bonâ fide & conscientiâ carere possent, ut mercatores & caupones lucro) peccaverunt multi, & qui querit abundare, oculum avertit. *Inter compages lapides as pangitur clavus, & inter venditionem atq; emptionem peccatum ultro citrog teritur.*

II. Dum ergo Clerici in universum omnes quasi in exemplum constituti sunt, quod reliqui Ecclesiæ cives sequi & imitari debeant, admittendi illi hautquam erunt ad tale vitae genus, quod crebris & quotidianis & tam lutulentis vitiis atque peccatis expositum est. Monitorem ea de re habemus Paulum 2. Tim. II, 4. nemo militans implicat se negotiis secularibus, raus tibi περιγματίαις (negociis ad rem familiarem eamque augendam pertinentibus) ut ei placeat, à quo delectus est miles. Atque idcirco hortatur Timotheum, ut laboret, sicut bonus miles Iesu Christi. Hic vero Dux & Archistrategus militiae suæ Ecclesiastice omnem prohibuit perversam de rebus hujus vitae sollicitudinem Matth. VI, 25. Vix enim fieri potest, ut non deficiant subinde à Deo, & nummum veluti deastrum & idolum turpissimum colant, qui lucro quærendo intencî sunt, & ex mercimonii facte compendio capiuntur. Mercator namque facile virtutis obliviscitur, nec

de honesto, sed de utili frequenter cogitat, votaque sua de lucro solum concipere solet, adeò ut plerumque verum existat id, quod scribit Paulus ad Corinthus in l. 44. §. 1. ff. de edilitate. id genus hominum ad lucrum potius vel turpiter faciendum pronius est.

III. Et hoc est, quod tam odiosas reddidit negotiations, ut Christianis promiscue omnibus minus convenientes eas judicent nonnulli Ecclesiæ Doctores. Chrysostomus homil. 38. ad Matth. cap. 21. Ejiciens Dominus vendentes & ementes de templo, significavit, quia mercator nunquam potest DEO placere, & ideo nullus Christianus debet esse mercator: aut si voluerit esse, projiciatur de Ecclesia, dicente Propheta: quia non cognovi negotiations, introibo in potentias Domini. Quemadmodum enim, qui ambusat inter duos inimicos, volens ambobus placere, sine alloquio male esse non potest, sed necesse est, ut iste male loquatur de illo, & ille male de isto: sic mercator sine mendacio & perjurio esse non potest. Sed substantia talium stabilis esse non potest: neq; ad bonum proficit, quod de malo congregatur. Quemadmodum enim si triticum aut aliud tale cernas in cribro, dum buc & illuc jactatur, omnia grana paulatim deorsum cadunt, & tandem in cribro nihil remanet, nisi sterlus: sic de substantia negotiatorum novissime nil remanet, nisi solum peccatum, &c. Legitur apud Gratianum c. ejiciens. dist. 88.

IV. Quanto magis Clericis prohibere oportuit tales negotiations, quippe qui & doctrinâ & vitâ sanctitate atque exemplo erudire debent sibi commissos. Atque huc tendunt plurima veterum Conciliorum decreta, tum & Pontificum & aliorum Ecclesiæ Præsulium responsa. Concilium Eliberinum can. 19. Episcopi, presbyteri, diaconi, de locis suis negotiandi causa ne discedant, nec provincias circumvenientes quaestuosas nundinas settentur, ad viatum sibi conquirendum filium, libertum, mercenarium, amicum, aut quemlibet mittant, &c. Concilium Arelatense II. can. 14. Si quis Clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor aliena rei voluerit esse, aut turpis lucrigrati genus aliquod negotiacionis exercuerit, depositus a Clero a communione alienus fiat. Sic & Synodus Cabilonensis II. c. 12. c. 44. presbyteros, diaconos, monachos fieri villicos, in tabernis bibere, conciliarios publicos esse, & nundinas insolenter peragrande, penitus inhibendum decrevit. Et Aurelianensis Synodus III. c. 26. prohibuit, ne Clericus pecuniam commonet ad usuram, nec de praestitis beneficiis quicquam amplius quam datur speret, nec in exercendis negotiis turpis lucrificiditate versetur, ut publici negotiatores, qui ad populares pensam observant, aut sub alieno nomine interdicta negotia exercent. Eoque pertinent omnes alii Canones, qui pecuniam fœnori dare & qualiacunque commercia exercere interdiciunt.

V. Inde vero conficiunt Doctores, Clericos adversus canonum decreta mer-

ta mercimonii operam dantes, pro secularibus haberi, fori privilegium amittere, & coram judicibus Laicis & Consulibus mercatorum conveniri debere. De quo articulo videri possunt Joh. de Salas *de empt. & vend.* dub. 3. Benvenut. Stracha *de mercatur. part. 3. n. 9.* Munoz de Escobar. *de ratiocin. administrator. c. 7. n. 38.* Ferrand. Valq. *de success. lib. 1. §. 10.* num. 648. Antonin. Diana *part. 1. tr. 2. resol. 47. & part. 3. tr. 1. resol. 44. &* *part. 4. de tr. 1. resol. 28.* Petr. Wading. *de contract. disp. 7. dub. 13.* Id quod tamen locum non habere voluit, nisi tria præcesserit admonitio, secundum constitutionem Honorii III. Pontificis, *c. ex literis 16. X. de vit. & honest. Clericor.* Sed quam ipsam in desuetudine abiisse testatur Johannes Vannerz Parlador. *lib. 1. rer. quotid. c. 3. n. 4. 5.* Conf. Renat. à Valle in *Hipparch.* p. 119. Franc. Florens in *Dissert. Jur. Can.* pag. 223.

VI. Nec tamen omnis promulgacuè prohibita Clericis fuit olim negotiatio. Canonis enim Concilii Eliberini supra adducto adjecta hæc leguntur verba: *Si negociari voluerint, intra provinciam negotientur.* Tacitè istam continentia lententiam, non esse turpem Clerico negotiationem, quæ intra provinciæ limites exercetur. Sed & jus civile Clericorum, qui commerciis dant operam, suscipit patrocinium, dum perquam eleganter Constantius Imperator anno ccclvii. in l. 2. C. d. Episc. & Cler. non tantum immunitatem illis concessit, ne perinde, ut alii negotiatores, ad aliquam præstationem competentem vocentur, verum etiam de ergasteriis & tabernis eorum, imò & hominibus, quorum operā in mercimonii utuntur, nullā additā reprehensione, aut vituperio, aut improbatione verba facit, iisdemque certa privilegia largitur. Quò & facit alia ejusdem Imperatoris constitutio in l. 10. C. Theod. de Episc. Eccles. & cler. Quà utrāque tamen constitutione ita describit istam Clericis concessam negotiationem, ut facile intellegi queat, non omne lucrum illis licitum esse, sed id tantum, quod pieta tem promovet, & intra leges honestatis continetur.

VII. Glossa canonica *ad can. negotiatorum dist. 88.* differentiam statuit inter jus civile & Canonicum, & jure civili quidem Clericis mercaturam permisam, jure Canonico vero planè prohibitam esse ait. Eam lequitur Benvenut. Stracha *d. 1.* Etsanè generaliter concepta est juris Canonici lententia apud Gratianum *in c. nulli 4. dist. 44.* ubi dicitur: *Nulli Clerico licet tabernam aut ergasterium habere.* Ille canon desumptus esse dicitur ex canone 9. Synodi Quinisextæ in Trullo habitæ. Sed illius synodi verba paulo aliter se habent hoc sensu: Nulli liceat Clerico cauponariam habere tabernam, καπνικὸν ἐργαστήριον, sive ut Antonius Contius vertit, tabernarium ergasterium. De cauponâ enim sermonem esse, totus contextus ostendit. Atque sic etiam explicat Zonaras: *Turpe siquidem, inquit, atq. ab ordinis dignitate vehementer alienum, exercenda capona clericum praefidere, excipiens-*

dū hominibus, apponendis ferculis presto esse, pincernaq; quodammodo operam ac ministeria hospitibus exhibere. Taberna autem cauponaria non est taberna mercatoria, uti appareat ex l. 34. ff. de pignor. & l. 13. ff. de instruct. vel instrum. leg.

VIII. Sed enim necesse non est, ut aliquam hīc singamus differentiam juris civilis & canonici, dummodo juris civilis textus eā, quā decet, diligentiā attendatur. Non enim probat eam mercaturam, quā Clericus lucrum quærerit, ut inde sibi opes colligat, sed quā viētum sibi quotidianum comparat, & quod superest in usum pauperum atque egentium erogat. Propter distributionem hanc in pauperes dicitur ab Imperatore id, quod ex Clericorum ergasteriis vel tabernis colligitur, lucrum religionis. Ad viētum autem comparandum mercaturam Clericis eo tempore licitam fuisse, non tantum canon Concilii Eliberini antea citatus ostendit, sub hac tamen limitatione, ut intra provinciam negotiatio instituatur & quæstus extra provinciam nundinæ omittantur, sed etiam textus in l. 15. C. Theod. de Episc. Eccles. & Cler. ubi hæc habentur verba: *Clerici debent immunes à collatione prestari, si exiguis admodum mercimonis tenuem sibi viētum vestitum, conquirent.* Si jam addatur ex d. l. 2. C. de Episc. & Cler. quod superfluum ex mercatura Clericorum congestum in usum pauperum atque egentium ministrari oporteat, & quod istud Religionis lucrum existimari debeat, nulla sanctior, nulla honestati magis congrua erit mercatura.

IX. Qui in artem redigere & compendio comprehendere doctrinas consueverunt, triplicem faciunt negotiationis speciem, *Primam* dicunt esse negotiationem œconomicam, quæ instituitur ad necessariam familiæ suæ sustentationem: *secundam*, politicam, civitatum, exercituum, & aliarum universitatum gubernatoribus competentem, eum in finem institutam, ut publicis populi necessitatibus succurratur; *tertiam* vocant lucrativam, quā scil. quis aliquid emit, ut illud postea carius vendat, & hanc aijunt exerceri dupli modo: primus est, quando emptor rem, quam emit, per artificium & industria suam mutat & in aliam formam vertit, atque propterea carius vendit: secundus modus est, quando quis emit, ut carius vendat, nullo addito artificio, nec mutatione in meliorem formam, & hanc propriè statuunt esse negotiationem. Ex his tribus speciebus Clericis secundam & tertiam in secundo modo interdictam esse dicunt, non primam, non tertiam in primo modo. Conrad. Summenhart. de contract. tr. 3. qv. 52. Joh. Medina de reb. restit. quest. 31. Sig. Scaccia de commerc. §. 1. quest. 7. part. 2. ampl. 11. num. 7.

X. Illud ego asseverare ausim, mercaturam, quæ Clericis in l. 2. C. de Episc. permittitur, non denotare tales negotiationem, quā emi lolet res, ut carius vendatur, non mutata planè rei formâ; sed videntur mihi tūm temporis Clerici emisse alias res, easque deinceps artificiosâ manu & per

& per industriam suam mutasse, atque in aliam formam redegisse, & sic mutatas planè tenui lucello vendidisse. Et tale mercimonium, ut dixi, Clericis non est indecorum, nec ergo interdictum, uti præter supra adductos consentiunt uno ore alii omnes. Vid. Camill. Borell. *decis. 7. n. 68.* Claud. Tutius *allegat. 14. n. 3. 4.* Gulielm. Redoan. *de Ipol. Eccles. quest. 2. n. 36.* Benvenut. Stracha *de mercatur. part. 3. n. 5.* Joh. Azor. *institut. moral. part. 2. lib. 7. cap. 5.* Augustin. Barbola *de jure Eccles. lib. 1. cap. 40. n. 114.*

XI. Insuper verò hoc ostendit dicta constitutio in l. 2. C. de Episc. & Cler. fuisse seculo post Christum natum quarto Clericis quibusdam suas tabernas & ergasteria, in quibus sibi victum utcunque conquirebant. Nec enim tūm temporis decimæ in tam frequenti uisu erant, uti sequioribus temporibus invaluerunt, quanquā in Matisconensi Concilio II. quod finiente seculo sexto habitum fuit, leges de decimis locis sacris præstandis longis temporibus à Christianis custoditæ dicantur. Vivebant namq; olim & alimenta sua capiebant Clerici ex oblationibus, quæ à singulis co[m]unicantibus (à non co[m]unicantibus enim tales non recipiebantur) siebant, sed quæ in tenuioribus Ecclesiis læpenumerò & ipsæ admodum tenues erant. Hinc vehemens illa Cypriani de matronis locupletibus querela lib. de opere & elemosyn. Locuples & dives es, & dominicum celebrare te credis, qua corbonam omnino non respicias: quæ in dominicum sine sacrificio venis: quæ in partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. Mirum igitur non est, clericos aliunde sibi victum quandoque comparasse, exemplo Apostolorum, qui & ipsi manibus suis alimenta sibi quæsiverunt. c. 2. & 3. dist. 91. Conf. Claud. Espencæ. *digref. lib. 2. c. 16.* Et hoc ipsum præscripsit Concilium Carthaginense IV. can. 51. Clericus quantumlibet verbo DEI eruditus artificio victum querat.

XII. Ne autem exigua ista mercimonia, quæ Clericis licita esse voluerunt Impp. Constantius & Constans in l. 15. Cod. Theod. de Episc. justam quantitatem egrederentur, permiserunt Imperatores sequentes Gratianus, Valentinianus & Theodosius in l. 11. C. Theodos. de Iustit. collat. Clericis intra Illyricum & Italiam in denis solidis, intra Galias in quinis denis solidis immunem usum conversationis seu negociationis, id quod excescerit, ausariæ functioni subjicientes. Cur autem tam diversimodè? Nempe ubi ditiores erant Clerici, veluti in Italiâ & Illyrico, intra minorem summam: ubi non adeò divites, veluti in Galliis, intra dimidio majorem, negotiari permisum fuit. Jacob. Gothofred. *add. l. 11.* Et sic igitur certi positi fuerunt termini, intra quos contineri debuit negotiatio Clericorum, ut honesta dici posset. Nec enim non concedenda ea fuit, quod Clericis tūm temporis tantæ non suppeterent opes, præfertim in locis tenuioribus, quantæ eis deinceps collatae fuerunt. Si qua tamen cujusdam negotia.

gociatio modum istum excederet, noluerunt Imperatores excessum istum immunem haberi, sed, perinde, ut aliorum mercatorum commercia, lustrali collationi obnoxia esse jusserunt. Quod quidem statui clericali proborum admodum videbatur, & parum-conveniens, aut minus honestum.

XIII. Sanè cùm post annos viginti Arcadius Imperator Clericos in totum propter negotiationem à lustrali collatione immunes esse debere declarasset, *in l. 16. C. Th. de lustr. coll.* & multi ex Negotiatorum corporibus ad Clericorum ordinem se ideò conferrent, ut immunitate Clericis concessâ fruerentur, noluit Imperator id tolerare, sed jussit, ut negotiatores hujusmodi ad alterutrū adigerentur, vel ut negotiationi valedicentes Religioni servirent, vel ut Clericatu discederent, & lustrali collationi subjecti essent, additâ hac insigni sententiâ: *Distincta enim stipendia sunt, religionis & calliditatis.* Quod idem in mente habuisse videtur Constantius Imperator in supra adductâ *l. 15. C. Th. de Episcop.* dum ait: *Reliqui autem, quorum nomina negotiatorū matricula comprehendit eo tempore, quo collatio celebrata est negotiatorum munia & pensatōnes agnoscant: quippe postmodum Clericorum se cœtibus aggregarunt.* Si rectè utriusq; Imperatoris mentem capio, videntur illi tantum non pro incompatibilibus habere, esse in Clericatu & negotiatorum matriculâ contineri. Agit enim Constantius de illis, qui tempore collationis inferendæ negotiatorum matriculâ comprehensi, sed post istud tempus clericatum adepti fuerant. Quærebatur, utrum illi de collatione tenerentur, propter rationem dubitandi, quia scil. jam Clerici essent, qui immunes erant à præstationibus. Et decidit Imperator, adhuc teneri, quia scilicet eo tempore, quo collatio celebrata est, negotiatorum matriculâ adhuc comprehensi & sic in mercatorum numero fuerunt, & post istud demum tempus Clericorum se ordini aggregarunt. Habere igitur immunitatem à præstationibus tūm demum locum quando tempore collationis Clericorum cœtibus aggregati negotiatorum matriculâ non amplius comprehensi essent. Quam autem diversa sint Clericatus & mercatura, Arcadii sententia ostendit, quâ illum religionis, hanc calliditatis nomine designat, & utriusque stipendia distincta esse dicit. Calliditatem enim definit Cicero *de offic.* lib. 1. quod sit scientia, quæ est remota à justitia, & lib. 3. quod perversè imitetur prudentiam. Quo significatu vix quisquam eam Clericis tribuere poterit.

XIV. Cæterū uti prohiberi non possunt Clerici mercaturâ tali, quâ commutatâ emptâ rei formâ aliquod lucellum sibi acquirunt: ita nec alteram illam, quâ non mutatâ formâ res empta carius venditur, tempore necessitatis, & ubi aliâs non suppetunt alimenta, prohiberi Clericis posse statuo. Joh. Bapt. Costa *remed. subsid.* 73. Sig. Scaccia *de commerc.* § 1. quest. 7. part. 2. ampl. II. n. 7. dum tamen per eam propriis non studeant divi-

divitiis, sed vel necessariæ sustentationi familiæ suæ, vel pauperum indigentiaz, arg. c. gloria 12. q. 2. Quò imprimis pertinet, quod inter alias virtutes etiam hospitalitas Episcopo commendetur, 1. Tim. III, 2. Qui si idè negociationem aliquam exerceat, ut pauperes & egenos hospitio excipere, eisque benefacere queat, non puto id improbari debere aut posse, etiam si hoc quoque casu lustralem collationem eis imperaverit Valens Imperator in l. 5. Cod. Theod. de lustral. collat.

XV. Et sub his circumstantiis enumeratis facile consentire & adstipulari possum Ludovico Molinæ tract. 2. disp. 342. aliisque cum eo facientibus, dum statuunt, licere Clericis in Brasilia & Indiis sive Orientalibus sive Ecclesiam plantantibus, & necessario iubilidio destitutis, merces in Europâ ubi valor & aestimatio earum crescit, mittere atque illic carius vendere, ut inde habere & repetere queant alia sibi necessaria & ad rem peragendam utilia. Vid. Alfonsi de Vargas de Stratagem. Jesuitar. pag. 42. 43. Renat. à Valle in Hipparch. p. 121. Alias enim facile continget, quod de Clerico negotiatore simpliciter afferit Petrus Blefensis epist. 17. Clericus, qui leviore comparat precio, ut vendat carius filius est avaritia, idololatria pecunia, servus Mammonæ, & venundatus sub peccato.

XVI. Cauponariam tamen exercere & in eam rem publicam habere tabernam Clericis ab antiquis temporibus fuit prohibitum, quin & ipsi tabernam talēm ingredi prohibiti fuerunt, can. 9. Concilii Sexti in Trullo habiti. Nam cum promiscue, uti commentatur Zonaras ad can. Apostol. 54. confluant in cauponam & in honesti viri & in honesta mulieres, qui cum talibus conversatur, eorum turpitudinis expers non erit. Nec tamen facere possum cum Theodoro Ballamone, dum d. can. 9. quo Clerico cauponariam habere tabernam interdictum, explicat de exercitio, ita ut habere cauponariam tabernam idem sit, quod exercere cauponiam mercaturam. Si enim, inquit, cauponiam officinam in domino habet, & eam aliis elocat, novum non est, hoc enim etiam apud monasteria & diversas sit Ecclesiæ. Nec enim quod crescentibus vitiis invaluit & receptum est, illicò ex generelictorum esse putandum est. Melior est ejusdem Ballamonis doctrina ad d. can. Apost. 54. dum ait: Si absoluè prohibitum est, ne Clericus cauponam ingreditur, multo magis prohibebitur ejusmodi turpem mercaturam exercere vel per se, vel per interpositam personam. Hoc verò ultimum contingit, si taberna aliis elocetur.

XVII. Quæ de Clericis hactenus dicta sunt, ea multo magis ad Episcopos applicari debent. Dum enim Clericis diverlorum ordinum præpositus est Episcopus, turpe erit, eum à sibi subjectis circa virtutes superari. Sic namque fert opinio, ut eorum, qui aliis præfunt, minima peccata vulgo videantur maxima, & ut parva vitia eluceant magis, quo majores &

m

præstan-

præstantiores debent esse illi, quibus ista adhærent. Quin etiam acrius ea sœpe officiunt, cum ab auctoris decus in virtutes potissimum accipiuntur, atq; ad imitandum incitamento sunt, ut loquitur Aurelius Victor in vita Constantini Magni *in Cæs. c. 41.* Recte ita quæ talium Episcoporum mores perstringit Cyprianus de lapsis ad Novatianum : Episcopi plurimi (quos & hortamento esse oportet cateris & exemplo) divinâ procuratione contemptâ audent procuratores rerum secularium fieri, derelictâ cathedrâ, plebe desertâ, per alienas provincias aberrantes, negotiationis quæstus nundinas aucupari, e surientibus in Ecclesia fratribus non subvenire, habere argentum largiter, velle fundos in simiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fenus augere: quidquid non perpeti tales pro peccatis hujusmodi merentur.

CAP. XIII. Aulas Principum Episcopo non esse sectandas.

I.

Hildericus Huttenus Eques Germanus aulam Principum & vitam aulicam eleganter admodum comparat mari Tyrio, quod impetu rapit, vi detinet, fluctu jaqtat, infidum, surdum & instabile, repente turbatum, subito concitatum, inconstans, inquietum nunquam non procellis obnoxium, ventis expositum, tempestate furens, motu æstuans, plenum periculis, plenum exitio, impellens ac inundans, omni monstrorum genere, omnibus refertum portentis. Oportet in curia, ut Æneas Sylvius de curial, miser. loquitur, obsequi omnibus, communicare quod habes, servire temporibus, versare naturam & tegere, nec non teipsum buc & illic torquere & flectere: cum tristibus severè, cum remissis jucunde, cum senibus graviter, cum juvenibus comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriosè vivere: quod nisi feceris, nec magnus in curia, nec diuturnus esse poteris.

II. Si quis jam Episcoporum mores, quales esse debent, & quales Apostoli descripscrunt, ad istam aulicorum vitam comparaverit, non majorem ullibi dissensionem & discrepantiam inveniet, & adversa atque contraria omnia observabit. Si enim pacem querere, si otium honestum diligere, si sibi & proximo vivere, si salutem animæ querere, si sobrios, prudens, modestus & irreprehensibilis esse velit Episcopus, fugienda ei sunt atria regum & aulici tumultus, in quibus nec requies, nec bonarum artium exercitatio nec virtutis amor aliquis regnat; sed avaritia, libido, ingluvies, crudelitas, crapula, invidia & ambitio dominatur. Quibus vitiis qui sit deditus, nullo se poterit arguento tueri, quin apud Viros cordatos pessimus esse convincatur Christianus. Et sanè vix ullam reperies aulam tam modestam,

stam, quæ non multum habeat strepitū atque ambitionis, multum fuci, multum luxus, quæque proflus abit ab omni specie tyrannidis. Solent enim aulæ pleræque omnes peculiari quâdam naturâ suâ pestes hujusmodi non secus ad sele attrahere, quâm Cæcias, ut ajunt, nubes.

III. Ista vitæ aulicæ discrimina atque pericula expertus abundè erat Nicolaus de Clemangiiis Archidiaconus Bajocensis. Quapropter cùm à Johanne Præpolito Insulensi moneretur, ut Parisios rediret & ad aulam le reciperet, inter alia his verbis ei respondet epist. 14. *Desine me à quieta litoris statione semel apprehensā rursus in syrtes & scopulos evocare. Nam simile magnum & spaciose, sacris attestantibus eloquies, est mundus iste, ubi tantis inhorrescit procellis, tantis flatibus agitatur, tantis fluctibus intumescit, tām savis ex aestuat turbib; sicut in Curiis principum, ubi inter scilicet mordacem invidae canibus, ut ajunt, succinclam & rapacem arg, insatiabilem avaritiis Charybdim navigare oportet, ubi velut in solo proprio imperat superbia, regnat ambitio, furit crudelitas, languescit desidia, defluit luxuria, carpit detractio, tradit proditio, ubi nulla pax animi, nullaque conscientia, nulla fides, nulla charitas, nulla securitas, ubi blanda asserentatio, amicitie & simulario, injuria dissimulatio, ubi latentia odia, fictis verbis, serena fronte, sed fallacis obsequii mendositate adoperta. Ubi deniq; rota fortuna versatilis, quæ summis infima mutare gloriatur, rapidiori quam usquam alibi turbine volvitur. Quid quofo in temporalibus curiis acturus sum, artium talium ignorans, quæ nec unquam didici, nec discere cupio, qui in lingua & fronte animum gesto, qui rudit & parum curialis adulari, insidiari, vento pascere, temporis servire nescio, qui ridere dentibus, plaudere genibus, ulnis amplecti, facetus uti non novi, quibus aulici & palatini inserviunt, &c.*

IV. Invaluerat tamen aliquando prava illa consuetudo, ut ad comitatum sive aulam Imperatoris frequentes admodum irent Episcopi, sub specie quidem Ecclesiæ suæ instantes necessitates exponendi, sæpè tamen alia omnia etiam dignitates sibi aut clientibus suis procurandi. Atque illi crebris istis & perpetuis sollicitationibus non Imperatoribus tantum ipsis molesti erant, quod difficile esset lancis istiusmodi hominibus petita denegare, sed & sacrum suum officium graviter lèpè prostituebant. In Concilio Antiocheno can. 11. editum erat decretum : *Si quis Episcopus aut presbyter, aut quilibet regulæ subjectus Ecclesiastica concilium & literas Episcoporum provinciæ & præcipue Metropolitani adierit Imperatorem, hunc reprobari & abjicio oportere, non solum à communione, verum & ab honore, cuius particeps videtur existere, quia venerandi principis auribus molestiam tentavit inferre contra legem Ecclesie. Si igitur adire principem necessaria causa depositit, hoc agatur cum tractatu & consilio Metropolitani &*

catero-

m 2

caterorum Episcoporum, qui in eadem provincia commorantur, qui etiam proficisci tem suis prosequantur epistolis. Videtur Episcopi voluntari ex levibus quibuscumque causis Imperatoris comitatum sive aulam adiisse, ut sub hoc praetextu ab Ecclesiâ suâ abesse & genio suo inter aulicos indulgere, aut aliis rebus suis propriis superesse liceret. Id coercere voluit hoc canone Concilium, tûm ut Constantii Imperatoris affectum erga Ecclesiam conservaret, tûm ut Episcopos domi prælentes retineret.

V. Paulo plenius corruptelam istam describunt Concilii Sardicensis patres can. 8. quando statuunt: *Osius Episcopus dixit: Importunitates & nimia frequentia & injusta petitiones fecerunt, nos non tantam habere vel gratiam vel fiduciam, dum quidam non cessant ad comitatum ire Episcopi & maximè Aphri, qui sicut cognovimus sanctissimi fratris & coepiscopi nostri Grati Salutaria consilia spernunt atq; contemnunt, ut non solum ad comitatum multas & diversas Ecclesia non profuturas perferant causas, ut fieri solet aut opor ter, ut aut pauperibus, aut viduis, aut pupillis subveniantur, sed & dignitates seculares & administrationes quibusdam postulent.* Hac itaq; pravitas olim non solum murmurationes, sed & scandala excitat. Honestam est autem, ut Episcopi intercessionem his præstent, qui iniquâ vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus exsponietur, si tamen isthac nomina justam habeant causam aut petitionem. Si vobis ergo fratres charissimi, placet, decernite, ne Episcopi ad comitatum accedant, nisi forte hi, qui religiose Imperatoris literis vel invitati vel evocati fuerint. — — Universi dixerunt: *Placet & constituatur.*

VI. Ista verò Conciliorum decreta insuper habita fuisse, nec suam retinuisse autoritatem, & fortasse prorsus in desuetudinem abiisse constat exinde, quod accedere oportuerit ex Justinianî Constitutione in l. 43. Cod. de Episc. & Cler. potestatem legislatoriam. Consideraverat ille, quantum detrimenti ex Episcoporum absentia caperet Ecclesia, minui ejus commoda, impediri liturgias aut non convenienter curari, consumi res Ecclesiasticas, tam propter itinerum, quam propter viatorum commeantium impensas, quæ nonnunquam ex mutuo accepta & foeneratitiâ pecunia ex Ecclesia redditibus restituendâ facienda essent, ipsam denique totam administrationem Ecclesiasticam labalcere & infringi. Hac ergo ut evitentur, leverè & sub excommunicationis pœna istas Episcoporum ad comitatum suum sine permissione susceptas profectiones. Non deceat, inquit, aliquem ipsorum, aut eorum, qui in aliis provinciarum civitatibus sub metropolitano ordinati sunt, episcoporum secundum propriam voluntatem absq; diuinâ nostrâ speciali iussione relinquere quidem gubernatam à se sanctissimam Ecclesiam, in hanc verò felicem commeare civitatem, qualiscunq; emerget res; sed mittere oportet unum aut duos ex sibi subiecto pio clero & facere manifesta nostra pietatis ea, quibus apud habent, aut per seipso, aut per

per intermedium tuam beatitudinem: Sicq; perfrui justâ & compendiariâ nostrâ ope: si enim quidpiam eorum, qua ad nos relatâ fuerunt, tale nobis visum fuerit, ut indigeat ipsorum DEO amantissimorum Sacerdotum presentâ, confessim tûm proficisci jubebimus ipsos; absq; verò tali divinâ iussione, neminem proficisci concedimus, &c.

VII. Sub eodem Justiniano invaluerunt primum apocrisiarii five Responsales, ut statuit Petrus de Marca de concord. sacerdot. & imp. lib. 5. cap. 16. dissentiens hâc in parte ab Hincmaro Remensi, qui epist. 3. cap. 13. eos imperante Constantino Magno, statim post translatam Byzantium Imperii sedem introductos existimat. Illi à patriarchalibus potissimum sedibus ad Urbem Regiam destinati erant, ut illic præsentes semper essent, & suggererent Princi, quid è re tuarum Ecclesiarum esset. Atque isti apocrisiarii plerumque ex diaconorum ordine eum in finem selecti erant, ut Episcoporum partes sustinerent, utve Episcopi ipsi per eos negotia sua expedire possent, nec prætextum quærerent ad comitatum principis ob levissimum quodque emergens abeundi. Sic enim constituit Justinianus novell. 6. cap. 2. Propterea sancimus, si quando propter ecclesiasticam occasionem inciderit necessitas, hanc aut per eos, qui res agunt sacrarum Ecclesiarum, quos apocrisiarios vocant, aut per aliquos Clericos huc destinatos, aut Oeconomos suos notam Imperio facere, aut nostris administratoribus, ut impetrant, quod competens est: & non hoc DEO amabilibus episcopis erroris & absentia, & sanctissimi ecclesiæ lesionis occasionem fieri, tam in provincia ecclesiasticis rebus per absentiam eorum neglectis, quam etiam hic expensis multis ab ipsis factis, nec non peregrinæ habitatione non habili constitutâ, & undiq; causa nullum juvamen, magis autem lesionem ecclesiæ sanctissimis inferente.

VIII. Sunt verò perquam multi etiamnum, qui putant, non utilem tantum sed necessariam etiam quandoque esse Episcoporum in aulis Principum perpetuam præsentiam, nec debere adeò inhiberi eos, ne aulas seclentur propter infinita, quæ inde resultant, bona. Eorum partes in primis defendit Richardus Cantuariensis Archiepiscopus apud Petr. Blefensi. epist 84. Indignatus fuerat Alexander III. Pontifex Rom. quod Vintoniensis, Eliensis & Norvicensis Episcopi perpetuò in aulâ Regis versarentur, & abjectâ sollicitudine pastorali curiæ fluctibus immersi essent. Eos excusat Richardus, & præmissis uniuscujusque laudibus longo ordine recenset utilitates, quas ex eorum conversatione aulicâ percipere licet. *Nisi, inquit, familiares & consiliarii Regis essent prefati Episcopi supra dorsum Ecclesie fabricarent hodie peccatores ac immanter & intolerabiliter opprimeret clerum præsumptio Laicalis.* Nunc autem, si quid in Ecclesia attentatur injuriam, auctoritate Pontificali corripitur: aut si adhuc Ecclesiastica censura non sufficiat, spiritualis gladii defectus civilis suppletur: & ad eorum arbitrium principalis

palus animadversio exercetur. Si quandoq , ut fieri solet , adversus infon-
tes Regis indignatio vehementius excandescit , Episcoporum precibus tem-
peratur. Ihsus medianibus mansuescit circa simplices judicialis rigor, admit-
titur clamor pauperum , Ecclesiarum dignitas erigitur , relevatur pauperum
indigentia, firmatur in clero libertas, pax in populus, in monasteriis quies, justi-
tia liberè exeretur, superbia deprimitur, augetur Laicorum devotio, religio fo-
vetur, diriguntur iudicia, leges acceptantur , decreta Romana vim obtinent,
possessiones Ecclesiastica dilatantur, &c.

IX. Egregii verò conversationis hujus aulicæ fructus , quos utinam
demetere liceret. Sed enim vereor, ne diversa & contraria omnia sequan-
tur, quibus propulsandis nulla sufficiet providentia humana. Contrarium
sustinuisse Justinianum Imperatorem modo audivimus. Contrariū etiam
defendit Aeneas Sylvius, postea Pius II. Pontifex Rom. de miser. Curia. num.
5. dum ait: Ceterum cùm ab initio dixerimus, quosdam esse, qui tanquam ani-
ma consulturi, Regalibus sese dedunt obsequiis, (existimant enim consulendo
Regibus, utilitatem Reip. promovendo, pupilli & viduarum tuendo causas, affi-
ctis & inopibus succurrendo, tanto magis DEO placere, quanto majore tadio
ista peragunt) respondendum est etiam his, ne qui stultiores sunt aliis, sapien-
tiiores omnibus videantur. Quamvis neminem adhuc cognoverim, qui non
suum aliquid temporale commodum apud Reges insectaretur; singamus tamen
aliquem fore, quem sola salutis animaratio moveat. An ita est, ut hoc in Curia
sibi possit obtainere? Consulemus nos Viro bono, in obsequio Regis ut se immerga?
Putabimus ne sic animam lucrefieri ? Mihil hercle non sit verisimile , in Curia
Principum, ubi vota virtute regnant , ubi tot irritamenta ab exercitio virtutum
subducunt, vi virum aliquem bonum posse perseverare. Namq ut seffor bo-
nus in equo retrogrado vel calcitrafo excutietur, dilabeturq tandem : Sic Vir
bonus & justus apud Reges diffluet: vel imminutus rerum licentia ac luxu, &
tot immunditiis tum vitorum, tum hominum circumventus declinabit à via
& in scopulos ruet, ventorum viribus actus & tempestatum, &c.

X. Alibi dixi, solitos suis Episcopos à Principibus & Imperatoribus
non solum ad ea, quæ de Ecclesiasticis rebus constitui debuerunt, adhiberi,
sed etiam in ipsis comitiis ad deliberationes in rebus Rempubl. & statum
concernētibus. Hic verò non substinet Principum benignitas, sed in ipsis
etiam curias suas eos vocavit, ut Consiliariorum vices subirent, sibique per-
petuò præsto essent. Hinc adeò inter eos distribuerunt officia palatina, qui-
bus illi tantâ cum curâ nonnunquam & integritate profuerunt, ut credere-
tur, non alios præstare ea posse majori cum prudentiâ & fide. Refert Jo-
hannes Josselinus in antiquis Eccles. Britannica in vita Huberti Archiepiscopi
Cantuar. quid Heinrici III. Angliae Regis tempore contigerit. Eccle-
siastici tum viri, inquit, administrabant omnia , non Ecclesiastica solum sed
civi-

civilia, sapè etiam ipsa bellica officia. — — In hac honorum exuberantia
tum honorum atq; munierum tantorum dignitate atq; fastu, quod Clero esse po-
tuit laetus aut elatus? nihil enim eis ne ad regalem magnificentiam defuit.
Quā sane affluentia & elatione jam inflati atq; tumidi Anno tertio Henrici
Regis tertii a civilibus magistratibus honoribusq; semoti sunt, in flagitibus
hoc atq; flagitantibus illustribus Viris Laicis, quibus eadem munera commissa
sunt. Sed isti Laicitām perperam rem gesserunt & extenuatis Regis publi-
cis vestigalibus, ac in suam rem versis tanto detimento Reip. fuerunt,
ut eidem Regi adhibitis sibi in Consilium Viris moderatis ac prudentibus ne-
cessitatem Clericos in pristinis munieribus collocare, quia qua per eos gerebantur
& Regi & subditis commodiora multo ac utiliora fuerunt. Idem Josselinus
in vita Simonis Langham longum recenset Catalogum Clericorum mune-
ribus publicis eodem simul tempore praefectorum. Et fuerunt sane illece-
bræ illæ, quibus aula scatet, tantarum virium, ut, qui semel in illis sele im-
merserat, revocari inde difficulter admodum posset, id quod satis ostendit
exemplum dicti Huberti Archiepiscopi Cantuariensis à Francisco Godwi-
no descriptum.

XI. Non poterit adeò probari, quod in Remp. & secularem tranquili-
tatem, jusque pacis & belli concernentibus legationes Principum in se sus-
cipiant Episcopi. Idque agnovit tandem Georgius Selva Episcopus Va-
vrentis, post varias legationes nomine Galliarum Regis Francisci I. apud ex-
teras gentes absolutas, ad Ecclesiā suam se recipiens, persuasus ut putat Dn.
Stephanus Baluzius ad Gallandum c. 22. à Buwello, quod Episcopum domi
deceat fungi legatione Christi, non vero legationibus Regiis alibi occupari.

CAP. XIV.

Non convenire inter se militiam armatam & statum Episcopalem.

I.

Apostolus Paulus, dum statum Christianorum spiritualem, qualis in se
est, considerat, 2. Cor. X, 4. eorum militiam hunc in modum describit:
*In carne ambulantes, non secundum carnem militamus: nam arma mi-
litia nostra non carnalia sunt, sed potentia DEO ad destructionē munitionum.*
Eaque arma speciatim recenset, atque usum simul exprimit, Ephes. VI, 13.
seq. Propterea accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo & in
omnibus perfectis stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, &
induti loricae justitiae & calceati pedes in preparationem evangelii pacis: in
omni.

omnibus sumentes scutū fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbū DEI &c. Sic etiam Ignatius epist. ad Polycarpum Smyrnensem Episcopum: Placete cui militatis, à quo & stipendia fertis. Nullus vestrum otiosus inveniatur. Baptisma vestrum maneat ut scutum, fides ut galea, charitas & lancea, sustinentia ut omnis armatura.

II. Regnum scilicet Christi totum spirituale est, & modus etiam imperandi spiritualis, neque aliter uniuntur inter se ejus subditi & cives, nisi per prædicationem verbi, & communionem sacramentorum. Caput ipsum invisibile est, cœtus sive exercitus sub eo collectus, quatenus verè Christianus est, & ex electis constat, itidem invisibilis est: hostes & adversarii invisibles, pugna & concertatio invisibilis. Quorsum ergo arma corporalia & visibilia? quorsum legionum agmina? quorsum apparatus castris Regiae & Cælareæ æqualis? nihil omnino ad Ecclesiarum conservationem, immo planè contra intentionem divinam ipsius fundatoris. Ut enim ostenderet ille, omnem usum armorum ministris suis parum convenire & conditione eorum à re bellica prorsus alienam esse, regnum suum non esse de hoc mundo dicit, Job. XVIII, 36. nec armis proinde ad ejus conservationē opus esse. Recte igitur Ambrocius orat, in Auxentium: Dolere potero, potero flere, potero gemere: adversus arma milites, Gothos quoq[ue], lacrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. Quòd & facit illud, quod habetur apud Gratianum c. reprobabile 23. q. 8. Quod si seculi milites militie student, quid ad Episcopos & milites Christi, nisi ut vacent orationibus?

III. In hanc sententiam extant in decretis Conciliorum plurima alia, quibus accedunt etiam capitularia in quibusdam locis. Et tum temporis enim communis adhuc fuit ista doctrina, non esse inter se compatibilia, militiam armatam & cœlestem sive Ecclesiasticam. Postquam autem maiorem indies splendorem, nec spirituale eum, sed secularem & mundanum acquisiverunt Ecclesiarum Cathedrales, & non prædia solum & villas, sed oppida etiam, copiosas urbes, arces, munimenta, integrorum comitatus, principatus, & ducatus possidere cœperunt Episcopi, multum imminuta fuit militia illa spiritualis, cui isti addicti & adscripti fuerant, & ad exemplum Principum aliorum ipsi quoque in aciem duxerunt copias fulgentibus aquilis signisque incidentes & atrociter hostibus suis minitantes. Et verò qui poterant aliter, qui integrorum populos sub curā non tantum spirituali, sed etiam regimine & tutela civili subditos habebant? Ex quo tamen hoc deinceps malum emersit in Ecclesia, ut licet titulum Episcoporum retinuerint, & hunc veluti fundamentū totius potestatis territorialis sancte coluerint, reliquisq[ue] titulis omnibus bramiserint; munere tamen Episcopi, ut olim-

non amplius fungentur, sed ut Principes leculares curiosis praesent, & regimini politico magis, quam Ecclesiasticum intendenter. Ad quos vere applicari potest, nunc acutus Georgius Wicellus in vii reg. punti propemodum pudentius Episcopus dicit, & audiri saeum Principes gaudent, in quo ilorum aula non suffit ea patienter audire, si quis roget quilibet Episcopum sic praeceps descendam esse: ubi reverem meum gloriosum Dominum & Principem. Subiungit autem: Quid enim chorus cum foro quia gladio furit cum gladio carnis? Profecto Apostolus de Apostolis & horum successoribus aperte negat, arma illorum esse carnalia. Quae est societas Christi cum Herode, aut Paulo cum Agrippa? — Verum disputetur ad ratiom invetiganda veritatem ergo: utrum idem existere possit pastor spiritualis & miles plus quam carnalis: ac, jurene gestet altera manu pedum pontificale seu Episcopale, & simul altera ensim cruentum galeam, & horacem, Martiale? &c.

IV. Videatur autem hoc in armis praedium ab Episcopis illico post partam Ecclesie tranquillitatem quæsitum & collocatum fuisse, & quidem ab Arianis primùm. S.culo enim IV. Eusebius Episcopus Nicomediensis Arianæ sectæ addictus cum factione sua fecit, ut Athanasius ex Alexandrinâ Ecclesiâ, cuius Episcopus erat, ejiceretur, eique substitueretur Gregorius quidam Cappadox. Hic vero militari manu adveniens ingenitum patratâ cæde sedem illam occupavit, & cum aliis Episcopis deinceps penè nullam, cum belli autem duabus frequentem habuit conversationem, ut scribit Athanasius in epist. ad solit. vit. agent. Nec dubito, plures alios his iisdem artibus lades suas vel occulasse, vel sustinuisse, eoque impudentiæ processisse tandem, ut i; si etiam præliis & conflictibus inter se haud vere ventur, non quidem, quod ante obtinuerat, forte ut benedicentes exercitui, sed etiam, ut ipsi propriâ manu pugnarent, & cum hoste congererentur. De prælio, quod seculo VI. inter Longobardos & Burgundiones commissum fuit, dum verba facit Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 36. hoc addit cap. 37. Fueruntque in hoc prælio Saloni & Scotorum fratres sive Episcopi, qui non cruce cœlesti munierunt, sed galeam aut loricas lecularii armatis, multos manibus propriis, quod pejus est, interficiisse referuntur. Quæ verba cum retulisset Cardinalis ad ann. DLXX. n. 24. hanc suam addit eringou: hæc tunc primum sunt monstra cœpta videri, ut loricati Episcopi militarent.

V. Hac ratione invaluit sensim pessima ista corruptela, quæ Episcopi habitu & cultu corporis hominibus militaribus se similes faciebant, adeò ut vix ullum inter eos observari posset discrimen. Discere id licet ex Decretis Concilii Matronensis I. quod anno DXXCI habitum fuit cap. 5. Ut nullus Clericus sagum aut vestimenta vel calceamenta lecularia nisi quareligionem deceant, induere presumat. Quod si post hanc definitiōnem Clericus aut cum indecenti ueste aut cum armis inventus fuerit, à senioritate

re ita coērceatur, ut 30 dierum inclusione detentus, aquā tantum & modico pane diebus singulis sustentetur. Num diu observatus fuerit canon iste, non ausim afferere. Certè quæ insecura fuerunt tempora, ejusdem corruptæ faciunt mentionem. Et plus sanè potuit ad ejusmodi vitia tollenda exemplum imperantis, quām canones ab Ecclesiâ constituti aliquām multi. Qui vitam Ludovici Pii descripsit, cap. 11 postquam laudasset Imperatoris modestiam & humilitatem, de Episcopis refert istud : *Deniq. tunc cœperunt deponi ab Episcopis & clericis cingula, balteis aureis & gemmeis cultris onerata, exquisitæ, vestes, sed & calcaria talos onerantia relinqui. Monstro enim simile ducebat, si Ecclesiastica deputatus familia conaretur adpirare ad secularis ornamenta gloria.*

VI. Ut verò fieri solet, ut quæ vetita sunt, majore cum animi desiderio & voluptate exerceantur: ita & in hoc negocio contigit, dum variis in locis expeditiones bellicas plus quām cathedras suas sibi commendatas esse putarunt Episcopi. Qui Reginonis Prumiensis chronicon continuavit, sub anno DCCCCXXXIX. refert, Fridericum Archiepiscopum Moguntinum & Rudhardum Episcopum Strasburgensem cum Gisalberto & Henrico fratre Ottonis Magni Imperatoris adversus Ottonem conspirasse, copias secum duxisse, obsidionibus interfuisse & bellicæ adeò rei gnaviter studuisse. Fridericum hunc deinceps laudat, quod in sanctâ religione strenuus & valde laudabilis extiterit, sed in hoc reprehensibilis visus fuerit, *quod sic ubi vel unus Regis inimicus emerserit, ipse sè statim secundum adposuerit.* Sed expeditio illa utriusque infeliciter cessit. Postquam enim viceret hostes suos Imperator, Fridericus Archiepiscopus ad Fuldam monasterium missus & Rudhardus Strasburgensis Corbejæ monasterio destinatus fuit.

VII. Nec verò vitio vertipotuisset Ottoni, si paulo durius Episcopos hos suos hostes tractasset. Sed quæ ex dignitate Episcopali apud universas gentes nata fuit reverentia, etiam in atrocissimis & Republicam ipsam perimentibus criminibus moderatiùs agendum esse perlausit. Interim tamen ut milites istos sanctos, si diis placet; non solum pigeret stultizæ suæ, sed etiam puderet, & pœnitentia subiret, indignandum aut succenendum Imperatori non est, quod leviusculâ aliquâ poenâ eos affecerit. Memorabile est exemplum, quod de Richardo Anglia Rege & Episcopo Belluacensi refert Gulielmus Neubrigensis lib. 1, rer. Angl. cap. 22. Belluacensis, inquit, *Episcopus, homo feroci animi, & propinquitate regiæ inclitus audiens Miliacum oppugnari, sumptis properè armis, non suis, id est, militia secularis non spiritualis, cum armata multitudine contra hostes audacter egressus & fortiter cum eis congressus, bellicosus magis Pontifex, quām religiosus apparuit, sed fortunam non rectè culpavit.* Nam iudicio DEI victus, captus & vindictus, um quibusdam aliis nobilibus, Regi Anglorum, cuius tam in Orientali expeditione

tione, & Alemannicus vinculis constituto, quam regrezzo ad propria, supra modum infestus extiterat, gratissimum munus oblatum est. — Bellicosus itaq; Pontifex servabatur in vinculis & tractabatur ab hostibus mirius forte, quam meruerat, sed plane durius, quam Episcopum decebat. Interpellavit autem per suos Romanum Pontificem, ut Ecclesiastici vigoris instantia libera-
retur de manibus detentoris. Idem verò summus Pontifex prudenter considerans, quod Rex Anglorum Episcopum non predicantem, sed praliantem cepisset, & rigidum magis hostem, quam pacificum Praesulē teneret in vinculis, ut vincitum relaxaret, illi molestus esse noluit, sed interpellanti sapienter & discrete respondit, improporans, quod sacerdalem militiam ecclesiastica pratalisset, & pro baculo pastorali lanceam, pro mitrā galeam, pro alba loricam, & clypeum pro stola sumpisset, & gladium ferreum pro gladio spiritus, quod est verbum DEI, negansq; se pro eo imperaturum Regi Anglorum, sed opportune supplicaturum pollicens &c. Factum id anno MCXCVI.

IIX. Istos tales Episcopos fluctere & commovere haudquaquam potuerunt vel canones Ecclesiastici, vel leges civiles prohibentes. Omnino enim vires suas perdidisse censendum est constitutionem, quæ in capitularibus lib. 6. cap. 61. legitur: *Si quis Episcopus, presbyter, aut diaconus vel subdiaconus ad bellum processerit, & arma bellica indurus fuerit ad belligerandum, ab omni officio deponatur, in tantum, ut nec Laicam communionem habeat: quam illici. regradati Clerici, alias retinebant. Sic enim Clerici propter admissum delictum ordine suo moti ad statum Laicorum redigebantur, ut essent quidem & manerent in Ecclesiâ, non tamen sub alio schemate, quam Laici, atque adeò Ecclesiastica persona ad Laicam communionem remissa gradu suo perpetuo excidebat, & ex Clerico ferebat Laicus, i.e. ut inter Laicos deinde ad communionem admitteretur. Quæ communio diversa erat à communione Clericorum non quoad species communicatas, sed quoad locum & formam communicandi. Sed nec tali communione digni iudicati sunt Clerici, qui ad bellicas expeditiones processerant.*

IX. Oppidò placet judicium, quod de bellicosis ejusmodi Episcopis fert Cardinalis Baronius *ad ann. DCCCXXCVIII. n. 2.* Enumerat ibi Galliæ potissimum & Italiae calamitates, quæ ex tyrannorum plurium tum temporis exsurgentium factionibus ortæ fuerunt. *Sic itaq;, inquit, Italia & Gallia hoc potissimum anno sunt ex iis tyrannis emergentibus magnoperè afflita. Quod autem deterius videri potuit, & plane monstruosum, illud fuit, quod tam Episcopi quam Abbates armati ad bella procederent in hostes irrue- rent, caderent ipsos & caderentur ab ipsis. Execrandum plane diu istiusmodi facinus inolevit in Galliæ, cuius merito accidisse putatur, ut externis atq; civiliis bellis eadem provincia afflictarentur, sed eo deterius, quod iidem etiam ab ejus temporis scriptoribus laudati reperiuntur nomine bellicæ fortitudinis*

cum tanquam sacrorum Canonum violatores & munera pastoralis & nominis desertores detestandi fuissent. Non poterat dicere Baronius omnium temporum historiis quid magis accommodatum, & quod Episcoporum militares animos atque conatus acrius perstringeret, cum præsertim etiamnum monstruosi istiusmodi exercituum Duces, & militum conquisitores existant, & se præbeant etiamnum, qui pro Episcopali partio paludamentum, promittâ galeam eligant.

X. Non deest tamen, quod arma & expeditiones bellicas Episcoporum excusatas reddere utcunque queat, idque petitur ex natura & qualitate feudorum, quæ Episcopis jam inde à longis temporibus concessa fuerunt. Quia enim feudorum servitia ex primæva sua natura militaria sunt & equestria, propter quæ scilicet ipsi etiam valalli in libris feudorum communiter milites appellantur, simul atque beneficia istiusmodi in Ecclesiam aut personas Ecclesiasticas collata aut jure successionis à talibus acquisita fuerunt, cœperunt inter se conjungi & combinari, quæ ἀσύντακτα antehac credita fuerunt. Disputatum inde fuit in scholis, utrum feudum concedi possit Clerico? utrum Clericus in feudo jam constituto succedere queat? & utrum qui feudum semel adeptus est, si Clericus fiat, retinere illud possit? Vid. Herman. Vultejus de feud. lib. 1. c. 9. n. 67. & commentatores passim. Potissima autem dubitandi ratio est illa, quia miles Christi non debet esse miles seculi, 2. F. 21, eò scil. quod incompatibilia sint arma spiritualia & secularia, status clericalis & militaris, pedum Episcopale & lancea.

XI. Proinde rectè notat Franciscus Duarenus in consuet. Feud. cap. 6. in fin. infeudationes, quæ clericis sunt, introductas esse corruptis jam moribus Ecclesiasticis, corruptâ jam disciplinâ Ecclesiastica, & hoc jure nos uti contra veteres canones, contra ipsum jus Longobardicum. Idem cum eo sentit Udalricus Zalsius de feud. part. 5. n. 71. quando ait: *Ego in hoc nihil firmo; hoc tamen scio, quod textus feudales expresse volunt, quod qui Clericus efficitur, hoc ipso feudum amittat: quod & rationem habet: nemo enim militans DEO secularibus sese negotiis implicit.* Attamen quia communione obtentum est, quod Clericus feudum capere possit, quod & jus Canonicum admittere videtur, calamum represso. Hoc tamen ex D. Hieronymi verbis dico, Clericum esse de sorte Domini, qui divinis officiis & contemplationi deditus ab omni secularium strepitu semotus esse debeat, victus & vestitus contentus, ut & ipse Dominum possideat, & ab ipso Domino possideatur. — — Certè & in usibus Feudorum justissimè & omnino ex Christiana sinceritate cautum est, ne Clericus feudis implicitur. — Nec certè satisfacere posse videtur communis ista & planè frigida solutio, quam Præpositus circumfert, quod per substitutum saltem Clericus serviat: quia tale quiddam posset videri, ac si forem quispiam excusat, si per substitutum furetur. Certè quod cle.

Clerico probibitum est, & substituto prohiberi intelligitur. Sed ista carent alii: mei propositi non est, quicquam, quod sacris literis adversari possit, scribere.

XII. Vedit Zasius & agnoscit, tum jus Canonicum, tum mores seculi à doctrina sacrarum literarum abiisse, atque in hoc eis adversari. De substituto verò, per quem Clerico servitia præstare liceat, quod nonnulli, & plerique omnes hodiè ad temperandos canones & leges duriores commiscuntur, nec congruum satis videtur, uti notat Zasius, nec perpetuum. Clerici enim ipsi, qui feuda accipiebant, juramentū fidelitatis præstare tenebantur, ubi docet Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imp. lib. 8. c. 19.* & 21, nec videtur tum substitutus admissus. Juramenti enim formula non de substituto concepta erat, sed de ipso Vasallo, qui feudum accipiebat. In antiqua collectione III. apud Antonium Augustinum c. 1. *de ord. cogn.* refertur, Abbatem de Ferentino nobilibus quibusdam Viris præstito juramento promisisse, quod eos contra omnes homines, exceptis Romano Pontifice & Imperatore, ac Legatis ipsorum ad retinendum, quod tunc habebant in castris, villis & bonis aliis, & recuperandum sine fraude & malo ingenio, si eorum aliquid amitterent, adjuvare vellent. Juramentum hoc fidelitatis non præstit substitutus, cui id alias injungendum fuisset, sed ipse Abbas & quidem de integritate animi lui, quod sine fraude & malo ingenio assistere velit; id verò præstare non potest, si per substitutum serviat, cum de ejus fide nunquam adeò certus esse queat. Et certè recentius inventum est, à primæva feudi naturâ multum recedens, quod per substitutum servire liceat.

XIII. Nec verò adstringere se huic Feudistarum doctrinæ passi fuerunt Episcopi, quod scilicet per substitutos sibi militare oporteat; sed gloriosum sibi & vasallo dignum existimarunt, si ipsi ordines ducere, castra facere, acies instruere, collatis signis decernere cum hoste haud vererentur. Edidit nonnemo Chronogiam Cardinalium, Episcoporum & aliorum Ecclesiasticorum, qui arma sumperserunt pro servitiis principum suorum, excusam Lutetiarum anno 1633. Sed & Henricus Ludovicus Castaneus Episcopus Piëtavienensis apologiam pro seipso & aliis Clericis bellatoribus scripsit, qui ad exempla primitivæ Ecclesiæ contraria hoc tantum respondet, aliud nunc tempus alios mores postulare. Quæ quidem responso admodum communis est, quando Ecclesiam primitivæ & hodiernæ disformitas objicitur, quomodo etiam Petrus Abbas Cellensis epist. 10. huic distinctioni insistit. *Pensanda*, inquit, etiam sunt tempora, & diversi statuti temporum, secundum quos mutantur merita causarum. Nam in primitiva Ecclesia sola patientia locum habuit, ut auferenti tunicam dimitteret & pallium. Alius enim erat, & alibi, id est, extra Ecclesiam, qui persequebatur; aliis & alibi, id est, intra Ecclesiam, qui patiebatur. Modo verò jam adulta

n 3

Eccle-

Ecclesia, non licet filii Ecclesia, quod aliquando licuit inimicis. Sic & Jesuita Lainezius in Concilio Tridentino pronunciavit: esse nonnullos, qui cupiant res ad eum statum reductas, quo erant temporibus Apostolorum, aut in Ecclesia primitiva: sed hos tempora distinguere nescios, quid istis & quid illis conveniat, non animadvertere. Id esse manifestum, divinâ providentiâ & benignitate Ecclesiam opibus ditatam nihil esse dictu ineptius, quam DEUM Ecclesiæ dicitias & non unâ eorum usum donasse.

XIV. Ut verò Episcopi, Clerici, atque integræ Ecclesiæ ab aliis feuda accipere, sic etiam dare aliis vicissim consueverunt. Atque inde Cathedrales Ecclesiæ, tūm & monasteria suos habuerunt milites, qui parati semper esse debuerunt, ubi Rex eos evocaverit ad arma. Jacobus Sirmondus in not. ad tom. 2. Concil. Gall. pag. 685. inseruit notitiam de monasteriis, quæ Regi militiam, dona, vel solas orationes debuerunt. Episcopi ipsi suis præsto erant militibus & cum Rege copias in aciem educebant. Memorabile est, quod inter gesta Philippi Augusti refert Rigordus sub an. MCCIX: de Episcopis Autelianensi & Altisiodorensi: *Cum omnes Barones, inquit, & Episcopi vocati ad hunc exercitum convenissent apud Medontam, & missent ad mandatum Regis homines suis prout debebant in expeditionem illam, Aurelianensis & Altisiodorensis Episcopi cum militibus suis ad propria sunt reversi, dicentes, se non teneri ire vel mittere in exercitum, nisi quando Rex ipse personaliter proficiatur.* Et cùm nullo ad hoc privilegio se tueri possent, generali consuetudine contra eos faciente, petiit Rex ut hoc emendant. Ipsis autem emendare nolentibus Rex eorum Regalia confiscavit, scilicet ea tantum temporalia, quæ ab eo feudaliter tenebant, decimas & alia spiritualia eis in pace dimitens, &c. Episcopi illi omnes Regi ex fidelitate feudali obligati erant, & ex hac cum militibus suis ad Regis convocationem comparere tenebantur. Quod cùm renuerent Aurelianensis, & Altisiodorensis, felonie arguebantur, & feudis, quibus à Rege investiti erant, privabantur.

XV. Supradiximus, pro monstris habitos suis tales Episcopos in Ecclesia antiqua. Qui enim antea in prædicatione verbi & administratione Sacramentorum occupati erant toti, in quibus duobus præcipuum Episcoporum munus ex jure divino & institutione primâ consiit, nunc mutata scenâ istud negligunt, & ad curas seculares, imò bellicas & planè à se alienas animi nervos intendunt, ut adeò justè queratur hodiè, utrum Episcoporum nomine insighiri amplius debeant, qui pristinam Episcoporum curam & officium non expediunt? Neque id concoquere aut conciliare potuit Gabr. Barthol. Gramondus histor. Gall lib. 8. dum Cardinalis Giusii animam exhalantis facit mentionem. *Cardinalis Giusius, inquit, dum militia præfectum agit in castris, militari morbo corripitur, paucisq; post diebus factio fungitur apud Santones, quod per morbum traductus fuerat, extra castra.*

Ex

Ex purpura Romana & sacro charactere rara in principem laus, militiam as-
sestebat impatiens sui : non miles . quia Cardinalis: non item Cardinalis,
quia miles erat. Parum pro Cardinale agebat nuper , cùm de prioratu cari-
tatis cum Duce Niverno litem coram judice delegato vi armatâ dirimere tu-
lit, Nivernum ipse percuriens iecu manu, quod pro sacrilegio acceptum. Inde-
bitum certe characteri, quod in Engeriacâ obsidione sapè ferrum in hostem
frinxit, immemor Ecclesiam nescire sanguinem. — — Erant, qui crederent,
quo tempore excessit Princeps, in proximo esse, ut rubeum sacri Collegii pileum
cum Hierosolymitana cruce commutaret, quod vix credi possit, nisi quod va-
cordi in armalibidine agebatur.

XVI. Potuisse vero id ex consuetudine Galliae inveteratâ & longo
usu receptâ utcunque excusari, nisi eam sacræ Scripturæ adversam ipsi pro-
fiterentur Gallici Scriptores. Nec enim id diffiteri potest veritate rei
convictus Johannes Tilius lib. 2. comment. de reb. Gall. dum ait : Quan-
quam Scripturæ sacræ armis toti Clero interdicunt, tamen antistites pares
Gallia pro dignitate Parium temporariâ tenentur Regibus ministrare & eos
sequi cum equitum suorum ac militum comitatu, si quando Reges ipsi in bel-
lum processerint: quod officium à quibusdam aliis Episcopis, quibus pares non
sunt, debetur: adeò Gallia in his conditionib, rem militarē estimavit magni.
Floardus in historia meminit Hincmarie Germani Archiepiscoporum Remen-
sium, qui sapè ipsi pro Carolo Calvo & Carolo Simplice Regibus suas copias de-
duxerunt. Guilhelmus Brito in historia Philippi Augusti Regis narrat, Bellov-
acensem Episcopum è stirpe Regiâ fratrem Comitis Druidensis, Parem Gallia,
qui Philippo Augusto in prælio Pontis Bovinarum aderat, clavâ Guilhelnum
Comuem à Longo gladio cognominatum frarem nothum Regis Angliae pro-
stravisse. & Johanni Nestano Equiti imperasse, ut eum sibi caperet, similiterq;
alios complures ab eo in terram deturbatos esse. Sed quia homo fuit Ecclesi-
sticus, rerum ab eo strenue gestarum laudes alteri quodammodo tribuuntur:
& ipse quoq; clavâ tantum voluit dimicare, ut hostem deturbaret, non inter-
imeret. Si qua hæc Gallorum laus est, quod magni & stimantes bellicæ rei
studium, nec Episcopos quidem suos in otio suo residere patientur, tota
profecto ea uno in momento concidit, dum id fieri ait Tilius repugnante
Scripturâ sacrâ. Sed & frigida planè ejus pro Episcopo Bellovacensi est
exculatio, quâ illum non interimere hostem, sed clavâ tantum deturbare
voluisse contendit. Observarunt autem ipsi Galliarum proceres, neq; Reip.
Ecclesiæ proficuum esse istam Episcoporum ad expeditiones bellicas con-
vocationem. In Capitularibus enim lib. 6. c. 285. populi extat supplicatio ad
Karolum M. propter Episcopos, ne adversus hostem ire deinceps adigan-
tur. Inter alias hâc utuntur ratione: Plures potestis habere prelatiores, si
illi propriis resident in parochiis, quam si vobiscum pergunt : quoniam illi,

qus

qui eos prævident, omnes tunc pugnabunt, quod modo nequaquam faciunt, sed eos tantummodo custodiunt, &c. Et ad eam supplicationem varia extant Karoli M. decreta in iisdem capitularibus, lib. 6. c. 286. lib. 7. cap. 91. & c. 103. 104. Et statuit idcirco Concilium Sueffionense I. c. 3. Abbates legitimi hostem non faciant, nisi tantum homines eorum transmittant. h.e. in expeditionem per se non procedant.

XVII. Unicum illud valde turbavit, & in aliam planè formam commutavit statum Ecclesiasticum, quod Episcopales dignitates collatæ fuerunt personis illustribus, & in palatio natis atque educatis, tūm & quod Ecclesiis earumque Rectoribus integri ducatus & comitatūs donati fuerunt. Nec improbare possum sententiam Johannis Gersonis, Cancellarii Parisiensis, statuentis, multo utilius fuisse Ecclesiæ principatū ejusmodi temporales nunquam habuisse. Credidérunt quidem Imperatores, beatiorem & sanctiorem fore statum Ecclesiæ, & ipso etiam Episcopos regendæ Ecclesiæ aptiores futuros, sicubi potestas civilis & Ecclesiastica in una persona Episcopi concurrerent. Hoc ponderans Ottho II, inquit Cardinalis Nicolaus de Cusa de concord. Cathol. lib. 3. cap. 27. credidit, perpetuis temporibus imperio subiectis pacem dari posse, si temporalia dominia tam Romanæ Ecclesiæ, quam aliis adjungerentur cum certi servitii observatione, tunc enim cultus divinus augmentaretur, & religionem in magnam reverentiam exaltandam creditit, quando sanctissimi Episcopi magnæ potentiae aliis principibus intermiscerentur. Consilium non videbatur contemnendum, si potuissent Episcopi rebus secundis uti moderatiūs, neque circa religionem facti tuissent negligentiores. Hoc enim commune omnium ordinum vitium est, ut eadem, & ni fallor majore adhuc animi intemperie, secundarum rerum elati eventu supra humanum intumescant modum, quamquam adversarum ictus excipiunt & ferunt. Dum Principes sunt, & Episcopi esse volunt, id quod sunt, agunt; dum autem Episcopi sunt, & Principum axiomata sustinent, id quod sunt, non agunt, quod non sunt, maximè curant. Summatim ut dicam, temporalis potestas summoperè impedit spiritualem, si ab uno homine utraque expediti & exerceri debeat. Idcirco & Christus & Apostoli & sancti Patres severè prohibent, ne ministri Ecclesiæ temporalibus destineantur impedimentis.

XIX. Oppidò placet judicium Claudii Espençæi Theologi Parisiensis, quando lib. 2. digress. cap. 6. in hac tandem erumpit verba: *Simus sanè Domini temporales simul & spirituales, Abbates atq. Barones, Episcopi, Archiepiscopi, Comites, Duces, Principes, Reges deniq. si quidem Dominus voluerit, Principum beneficio & largitate. Nihil enim vetat alicujus civitatis aut provinciae dominum creari, si donec reperiatur, Episcopum: nihil item cogit talem facultates suas aut patrimonium relinquere, quasi retinens Episcopatu fungi neque.*

nequeat. Commandant Volaterranus lib. 4. & Forius Othonem & Johannem Mediolani Archiepiscopos eosdem atq; principes: commendo & ego, modo ne armorum, quām sacrorum studiosiores continenter Italiam bello vexaverint, sub actis bello aliis atq; aliis locis in elogio sepulchri contentis. — — Sed sint hac per me licet omnia Ecclesiastici, & sive ex hereditate sive Principum liberalitate merum Imperium habent, omnemq; jurisdictionem sive ipsi, sive eorum nomine alii exerceant. — — Sed optandum, ea ne gubernatio à spirituali eos procurazione avertat: duplē gerant personam, sed ne neglecta propriā functione profana. multo minus vel potius omnium minimè cruentā & bellicā ercent, nisi forte necessitate plusquam urgente, &c.

CAP. XV.

Ex alea lusu dedecus nasci Episcopo.

I.

A Lex lusu res est turpis & à sapientissimis quibusque semper damnata fuit. Idque vēl Ovidiani versus ostendunt:

Sunt etiam scripta, quibus alea luditur artes:

Hoc est ad vestros non leve crimen avos.

In Jure Romano notum est edit̄um de aleatoribus, quo coērcet Pr̄etos non tantū receptatores, & qui in hanc rem latibula pr̄stant, actionem de damnis occasione lusū illatis denegando, verū etiam eos, qui super tesserae lusu aliis vim quamcunque inferre audent arbitrariē puniendo. *l. 1. ff. de aleator.* Cū enim antea variis legibus, Titiā, Publiciā, ut & SCto prohibitum esset in pecuniam ludere, *l. 2. & 3. ff. eod.* utpote ex quo indebitæ cautiones, prodigalitatem, blasphemiae, rapinæ, convitia, vulnera & homicidia magno numero provenire solent, prudenter pristinas leges in usum revocavit Imperator, ac pecuniae in lusu perditæ nec actionem, nec exactiōnem, quin & jam solutæ repetitionem etiam post triginta annos dari debere, saluberrimā constitutione lanicivit *in l. 1. pr. & l. fin. C. b. t.* Didac. Covarruv. *in cap. peccatum relect. part. 2. §. 4.* Gvid. Pap. *quest. 581. n. 2.* Capella Tholoi. *decif. 193. n. 7.*

II. Aleæ autem nomine generaliter veniunt ludi omnes, qui pendent à calu ancipiū & fortunæ ludibrio, ut sunt folia, tesserae, tali, astragali, tabulae & similes. Unde & ad chartas lusorias communiter applicatur, quod de alea constitutum legitur. Tiber. Decian. *tr. crim. lib. 6. cap. 2. n. 23.* Omnes enim isti ludi sedecim illa vitia & criminia producere solent, quæ recenset Hostiensis *in summ. tit. de excel. pr̄lator. §. clericus.* Eleganter Johannes Saresberiensis *in polyclat. lib. 1. cap. 5.* Mendaciorum & perjuriorum mater

o

ter

ter est alea, & ex aliena concupiscentia sua prodigit, ut nullam habens patrimonii reverentiam, cum illud effuderit, sensim in fureta delabitur & rapinas. — — Ab ea siquidem armantur homines ad lites, incurruunt inimicities, in miseram et si non miserabilem incidentur egestatem. Et hoc namque est, quod tam odiosam reddidit aleam, omnesque ceteros ex fortunae beneficio lucrum facientes ludos. Quod si enim non tam lucri quam virtutis & exercendarum vitium gratia ludus aliquis institutus fuerit, quales potissimum sunt quinque illi, qui recensentur in l. fin. C. de religios. non est quidem ille omnino prohibendus; si tamen deposita pecunia certamen ineatur, noluit Justinianus, ne ditionibus quidem, nisi propter unum aureum, istiusmodi ludum permittere. Idque Interpretes nostri ad omnes ludos licitos extendunt, & eo ipso legitimam ludendi quantitatem circumscribunt. Petr. Heig. lib. 2. q. 10. n. 23. 24. Ratio est, quia & isti ludi, nisi ita limitentur, ad quæstum, avaritiam, rapinas, vulnera, homicidia, convicia, blasphemias convertipotent, quod evitare quam maximè voluerunt legislatores.

III. Hunc ergo aleæ lusum, dum etiam in plebe & infima populi fece implemet gentiles graviter reprehendunt, vix erit, ut statuere quisquam possit, Clericis & in primis Episcopis eum sine dedecore permitti posse. Ex hoc ipso utiq. deteriores sumus (verba sunt Salviani Massiliensis, lib. 4. de gubern. DEI,) si meliores non sumus, qui meliores esse debemus. Criminosior enim culpa est, ubi honestior status: si honoratior est persona peccantis, peccati quoq. major inuidia. Furtum in omni quidem homine est malum factus, sed damnabilius absq. dubio, si Senator furatur aliquando: cunctis forniciatio interdicitur; sed gravius multo est, si de clero aliquis, quam si de populo fornicetur. — Atrocius enim sub sancti nominis professione peccamus. Ubis sublunior est prærogativa, major est culpa. Ipsa enim errores nostros religio, quam profitemur, accusat. — Nibile est philosopho turpius virtus obsecna sectanti, quia prater eam deformitatem, quam virtus in se habent, sapientia nomine plus notatur. Et nos igitur in omni humano genere philosophiam Christianam professissimus, ac per hoc deteriores nos cunctis gentibus credit atq. haber necesse est, quia sub tam magno professionis nomine vivimus, & post in religione peccamus.

IV. Ut verò abstinentiores essent Clerici, & eo magis sibi ab ejusmodi ludis caverent, non in conciliis tantum ea de re facta & promulgata fuerunt decreta, sed etiam ex palatio Imperatorum constitutiones. In canonibus, qui dicuntur Apostolici, quadragesimus secundus ita se habet, Episcopus vel presbyter, vel diaconus, aleus & ebrietatis vacans, vel desistat vel deponatur. Consimiliter in Synodo Quinisexta in Trullo habitâ can. 50. hoc extat decretum: Nullus sive Laicus, sive Clericus ab hoc deinceps tem-

tempore aleâ ludat. Si quis autem hoc facere deprehensus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; siin Laicus, segregetur. Sic & pronunciavit Concilium Senonense cap. 25. Clerici ne in publico ludant pilâ aut aliis ludis, maximè cum Laicis: à ludo aleatorum, aliisque qui à forte pendent, abstineant, neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant; non se admisceant choreis publicis, &c. Renovavit itam prohibitionem Innocentius III. in decretalibus suis c. clerici & de vit. & honest. Cler. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.

V. Consentunt Constitutiones Imperatorum, inter quas maximè eminet illa, quæ à Justiniano Imp. in l. 34. C. de episcop. aud. verbis selectis & penetrantibus condita & promulgata, prolixisque sententiis concinnata fuit. Præmittit de honestate Clericorum, quæ reliquum populum luperare, & præire debeant, quâve Reipubl. etiam incrementa accedere soleant. Tum verò corruptelam sui seculi inculsat his verbis: Hæc igitur nobis speculantibus nunciatum est, præter communem rerum fidem quosdam ex reverendissimis diaconis itemque presbyteris (nam eo amplius etiam dicere erubescimus, Deo amantissimos nempe episcopos) quosdam, inquam, ex his non verentur, alii quidem per seipso cubos seu tesseras contrectare, & adeò pudendum atque ipsis etiam idiotis à nobis frequenter interdictum spectaculum participare, alii verò talem ludum non accusant, sed vel communicant facientibus, aut sedent spectatores actus indecori: & spectant quidem cum aviditate omnimoda res omnium rerum importunitissimas, sermones verò audiunt blasphemos, quos in talibus necesse est fieri, polluunt etiam suas manus, & oculos, & aures sic damnatis & prohibitis ludis. Dehinc aggreditur sanctionem, postquam conquesitus fuisse, nihil omnino proficere se potuisse monitionibus repetitis: Sæpe quidem, inquit, ipsis talia custodire debere prædicavimus; videntes autem de his factam nobis relationem, in necessitatatem incidimus ad præsentem veniendi legem, tûm propter nostrum super religionis studium, tûm etiam propter sacerdotii ipsius simul & communis Reipubl. utilitatem. Et sancimus neminem, neque diaconum, neque presbyterum, & multo magis neque Episcopum (quod quidem & incredibile fortè videri possit, ut quorum in ordinationibus preces ad Dominum mittuntur Christum Deum nostrum & invocatio sancti & adorandi sit spiritus, & eorum capitibus aut manibus imponuntur sanctissima eorum, quæ apud nos sunt mysteriorum, ut scilicet ipsis sensoria omnia instrumenta pura fiant & convergentur Deo) neminem igitur horum audere de cætero & post divinam nostram legem aut cubicare, i. e. tesseras seu aleis ludere, quoconque ales genere, aut ludo, aut ita ludentibus communicare, aut conversari, aut una cum eis agere, aut eis testimonium perhibere. Tandem statuit, trans-

gressores excommunicatione, & remotione, ac totali degradatione puniri debere.

VI. Videntur autem nec tūm cessasse Clerici ab ejusmodi alearum lusu, quandoquidem iteratam post non multos annos legimus ejusdem Justiniani constitutionem *in novell. 123. c. 10.* Interdicimus autem sanctissimis Episcopis, presbyteris, & diaconis, & subdiaconis, Lectoribus, & omnibus aliis cuiuslibet venerandi collegii auḡ schematis constitutis, aut tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes ac inspectores fieri, aut ad quodlibet spectaculorum spectandi gratia venire. Si quis autem ex his hoc deliquerit, jubemus hunc in tribus annis à venerabili ministerio prohiberi, & in monasterium redigi. Si autem in medio tempore ostenderit dignam sui vitii pœnitentiam, liceat & sacerdoti, sub quo constitutus est, minuere tempus & hunc rursus proprio reddere ministerio. Similem constitutionem edit Leo Imperator *novell. 87.* Jam vero qui sacri ordinis homines aleæ vacant, neque hi rem modicā aliquā pœnā dignam audent. Quid ita? nam cūm tranquillâ mente, animoq̄e à contemplandis rebus divinis immoto, quantum humanæ naturæ possibile est, summo isti bono inhærcere deberent: è contrario ad juveniles lusus deproperant. Quos etiam à sacerdotio succidi, secundum divinum sacrosanctorum Apostolorum decretum, par est. Verū quoniam id ipsum etiam præscriptum mitigat, ut qui non desistunt, pœnam subituros addat: Istatuimus nos quoque, ut qui aleæ lusu sacram fortem contaminant, in monasteria relegentur, (quam tamen relegationem triennale tempus finiat) & quando delictum satis expiatum videbitur, in pristinum statum restituantur. *At si rursum in frithilo vanè tempus terere instituant, tanquam piacularēs ex sacrosancto Ecclesiastico statu omnino exturbentur, ab eoq; profigentur.* Add. Capitular. lib. 6. c. 200. & Ludovici Imp. addit. 3. c. 27.

VII. Irreperat autem seculo duodecimo inter Clericos Gallicanos pessima hæc consuetudo, ut inter illicita non haberetur lusus aleæ, sed per mores receptos passim defenderetur, & strenuè exerceretur. Fidem eā de re facit Innocentii III. epistola decretalis *in c. inter dilectos 11.* *de excessib. pralat.* Agitur ibi de succentoriā Pictavensis Ecclesiae, quam Petrus Coëth Canonicus canonice se consecutum fuisse præteridebat, Innocentius autem admittere nolebat, quod aleatorem eum publicum & usurarium manifestum esse compertum haberet. Nec diffitebatur id Petrus, & criminis depellendi causā regerebat, fecisse id se secundum consuetudinem receptam, quia ferè universi Clerici in Gallia mutuo ita dare frequenter & ludere soleant. Sed Pontifex non consuetudinem eam, sed corruptelam esse dicendam rescribit, & iudos omnes voluptuosos, occasione quorum, inquit, sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis materiam deveniuntur,

tur, penitus improbat & prohibet. Ex his verò, quæ diximus, constat, omni ætate fuisse in Ecclesia antistites, canones & leges usque de que facientes, & contra prohibitiohem aleæ studentes atque invigilantes. Exempla recentia refert Alexander Sperellus Episcopus Eugubinus *de Episcop. part. 2 cap. 20.*

IIX. Cæterum uti nihil non inveniunt hodiè formatores morum in materia legum prohibentium, quod in genere licitorum poni posse putant: ita hic etiam, quando de ludis vetitis quæstio agitatur, plurimas communiscentur limitationes & exceptiones, quas vix aut ne vix quidem admitterent Legislatores. Nos eorum sententias nunc non excutimus, quarum quidem aliquæ, dum leguntur, quam ineptæ & intentioni statuentium adversæ sint, illico se produnt, nec exigunt refutationem operosiorum. Videri possunt Antoninus Diana, Thomas Sanchez, Gregorius Sayrus, Paulus Laymannus, Johannes Azorius & alii. Cæterum utrum ad ludum aleæ etiam referri debeat ludus scachorum, & num ille etiam Clericis interdictus sit, multifariam inter Doctores disputatur. Dubium nascitur ex eo, quod ingenii magis quam fortunæ ludus esse videatur. Qui licitum eum faciunt, quatuor observari volunt requisita 1. ut ad oblationem, non ad lucrum ludus instituatur, 2. ut non magnum temporis spacium insinuat, ne à rebus sacris abstrahantur, 3. ut aliorum & secularium præfertim adspexit, & 4. ut profanos Viros in eo socios non admittant. Rectius tamen, nî fallor, inter JCtos Angelus Aretinus *tr. de malefic. pag. mihi 333.* & inter Moralistas Martinus Azpilcueta Navarrus *in manual. cap. 20. sub n. 3.* eum Clericis interdicunt, cum ad latrunculos istos artificiose verlandos ea exigatur ingenii contentio, temporisque prolixitas, ut ad animum potius defatigandum, quam relaxandum aptus videatur: & qui vincitur, nunquam non malè habet.

IX. Dixi supra, Clericos Gallicanos aleæ ludo maximè deditos fuisse. Isti morbo & vitio ut medelam ferret, Wiboldus quidam Episcopus Cameracensis dicitur quendam aleæ ludum spiritualem commentus, in quo virtutum quinquaginta sex numero, certamen & pugna committitur, ut clericos diœcesis suæ à frequentiori aleæ vetitæ lusu avocaret, uti scribit Boëtius Epo *in comment. ad tit. ne cler. vel monach. cap. 1.* Ego verò valdè dubito, hâc ratione pruritum illum ludendi, qui Clericis tûm familiaris fuit, extingui potuisse, cum simulacra rerum nunquam id efficere queant, quod res ipsæ.

CAP. XVI.

*Nefas Episcopo esse, tūm Comædiis, tūm spectaculis aliis
interesse.*

I.

Spectaculum propriè appellatum gladiatorium mūnus significat , uti
annoavit J. Liplius lib. 1. *Saturnal. cap. 7.* & M. Tullius gladiatores pro
spectaculo & munere ipso usurpavit, *Philipp. 1. & 9.* In genere autem
dicuntur omnes ludi, qui causā voluptatis publicè exhibentur. Solebant
enim Imperatores olim in præcipuis Urbibus & Romæ præfertim ingenti
sumptu vasta extruere theatra , amphitheatra , circos , lacus , in quibus
saltationes , venationes , ludi , naumachiae exercebantur, istaque spe-
ctacula efficacissimum regnandi instrumentum habebant. Per ea enim
populum sibi conciliabant atque faventem faciebant , & his ejus studiis ac
voluptatibus grati reddebat. *I. I. C. de spectac. lib. 11.* & popularibus
plaustibus serviebant *I. 5. C. eod.* cùm ad hoc adinventa essent spectacula, ut
ad animi voluptatem agerentur populo, multaque delectatione eum im-
plerent. *Novell. 105. cap. 1.* Et sic namque affectus erat populus Roma-
nus, ut summā alacritate & incredibili cupiditate ad ludos confluueret, quod
notat Juvenalis *Satyr. 10.*

— — duas tantum res anxius optat,
Panem & Circenses.

& *Satyr. 11.*

Mæstria est caruisse anno Circensibus uno.

Idemque ingenium etiam Syris tribuit Herodianus lib. 2. c. 7. quos idē
Nigro præsidi suo Romanum Imperium affectanti favisse scribit , quod &
imperium apud illos humanissime gesserat, & ludis multitudinem , ac cele-
britatibus detinuerat. Sunt autem, inquit, *Syri suæ naturæ hujuscemo-
di oblectamentorum cupidores;* è quibus Antiocheni maximam felicissimamq.
Urbem inhabitantes, totum ferme innum vel in urbe ipsâ , vel in suburbanis
ludos & festa concelebrant. Quocirca edendis assidue spectaculis, ac remit-
tendis exhilarandisq. otio animis, ita sibi vulgus adjunxerat, ut ab omnibus
magnopere coleretur.

II. Quantacunque verò populus inde perceperit voluptatem, eam ta-
men bonis moribus adversam esse, rectè censuit Seneca : *Nihil est tam da-
mnosum honestis moribus, quam in aliquo spectaculo residere.* Tunc enim per
voluptatem facilius vitia surrepunt. Nec principibus, si boni fuerint, isti-
usmodi instrumentis opus est, uti optimè ratiocinatur Flavius Vopiscus in
Carino

Carino de spectaculis ab eo exhibitis: Sed hac omnia nescio quantum ad populum gratia habeant, nullius certe sunt momenti apud principes bonos. Id vero plenius considerantes Christiani in primitiva Ecclesia procul abstinuerunt ab inviolis istiusmodi spectaculis, non obstante indignatione gentilium, qui injuriam sibi isto spectaculorum suorum contemptu inferri arguebant. *Tertullianus in apologet. c. 38.* Aequum spectaculis vestris in tantum renunciamus, in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas, cum & ipsis rebus, de quibus transfiguntur, pratersumus. Nobile est nobis dictu, visu, auditu cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arena, cum Xysti vanitate. Quo vos offendimus, si alias presumimus voluptates? Si oblectari novissimum, nostra injuria est, si forte, non vestra. Sed reprobamus, qua placent vobis, nec vos nostra delectant, Circi, theatri, amphitheatri, Xysti facit mentionem, quibus omnibus interesse noluerunt Christiani. Circum enim propter furem & insana iugia, theatum ob spurcitiam & impudicitiam; amphitheatum ob atrocitem & immanitatem damnabant: Xisti vero exercitationes tanquam vanas & inutiles improbabant.

III. Postquam vero tranquillitate Ecclesiis parta ipsi etiam Clerici in delicias propenderunt & variis olectamentis allesti in theatris etiam conspicili non fuerunt veriti, hinc adeo legibus & synodalibus decretis opus fuit, quibus in verecundiâ istam reprimere oportuit. Dolet Justinianus Imp. in l. 34. C. de episcop. aud. talia de Episcopis audiri. Alii vero, inquit, neg. obscurè aut latenter aut equorum certaminibus se immiscent: aut etiam invitant aliquos super equorum profagatione, aut Victoria vel per seipso, vel per alios quosdam, ut quia non decenter talia ludant: aut scenicorum vel thymelitarum spectatores sunt ludorum, aut earum, que in theatris certantium ferarum pugna fiunt, neg. cogitant, quemadmodum ipsi vel his, qui modo & recens iniciati sunt, & adorandi mysteriis dignati, ipsi pradicunt, ut abrenuncient adversari demoni cultui, & omnibus pompi eius, quarum non minima pars talia spectacula sunt. — Et sancimus, neminem neg. diaconum, neg. presbyterum, & multo magis Episcopum audere de cetero, ut post divinam nostram legem interesse plebejis hujusmodi spectaculis, qua prius diximus, aut quid eorum, qua in his prohibentur, facere sed omni ad illa participio in posterum abstineret, &c. Hanc suam prohibitionem iteravit & renovavit idem Justinianus novell. 123. cap. 10.

IV. Ante Justinianum prohibitum id fuit per decretum Concilii Laodicensi can. 54. Quod non oportet sacerdotes aut clericos spectacula aliqua contemplari in nuptiis aut convivis, sed antequam thymelicu ingrediantur, eos surgere & discedere. Qoi sunt thymelici, videri poterit Christophorus Jussellus ad Cod. canon. Eccles. univers. pag. 215. Rittershus. ad Salvian. pag.

207. Joh. Casp. Suicer, *in thesaur. Eccles.* Id certum est, plurimis scurrillatibus spectacula ista referta fuisse. Similis prohibitio reperitur in Concilii Quinisexti Trullani can. 24. Ne cui liceat eorum, qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel monachorum, in eorum curriculis subsistere, vel scenicos ludos sustinere. Sed & si quis Clericus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata ludicra ingressa fuerint, surgat & è vestigio discedat, patrum nostrorum sic jubente doctrina. Si quis autem ejus rei conjunctus fuerit, vel cessest vel deponatur. Imò vero omne id deinceps, quod aures vel oculos delectare possit, ex mundi hujus voluptatibus prohibitum fuit Clericis in synodo Cabinolensi III. can. 9. Ab omnibus oculorum auriumq; illecebri sacerdotes abstinere debent, — — & histriorum sive scurrorum & turpium seu obscenorum jocorum insolentiam, non solum ipsi respuant, verum etiam fidelibus responda percenseant. Id quod lege publica confirmatum per constitutionem Ludovici I^m. addit. 3. ad capitular. n. 42.

V. Quod si cum probro atque dedecore conjuncta fuerit sola Clerici in theatro præsentia, quando foediori turpidine notatum erit proprium ejus factum, quando ipse histriōniam facit, & inter mimos nomen suum profitetur, aut prohibita ejusmodi spectacula edit. Id enim factum aliquando, non tantum ex dicti Concilii Trullani canone 51. colligitur, sed etiam dilertis verbis id testantur tum Græcae, tum Latinæ Ecclesiæ Doctores. Invaluerat enim aliquando in Ecclesia Constantiopolitanâ consuetudo, ut Clerici larvati luderent in Ecclesia in festo natalis Christi & festo Luminarium amictu monachorum, vel militum, vel variorum animalium specie. De quâ re ita scribit Theodorus Ballamon ad Concilii Trullani can. 62. Sed & quidem Clerici in quibusdam festis varias personas suscipiunt & effingunt, & aliquando quidem ense cincti cum militariibus vestibus in Ecclesia meditullium ingrediuntur, aliquando vero ut monachi progrediviuntur, vel ut quadrupedia animalia. Cum itaq; interrogasset, quomodo haec fieri permisum sit, nihil aliud audiri, quam hac longâ consuetudine fieri.

VI. Idem prorsus in Latina obtinuisse Ecclesiâ, testis locuples est Innocentius III. Pontifex in cap. 12. & de vit. & honest. Cler. cuius in antiqua collectione 3. cap. 4. eod. haec sunt verba: Interdum ludibriunt in eisdem Ecclesiis theatrales, & non solum ludibriorum spectacula, introducuntur in eas monstrâ larvarum: verum etiam in tribus anni festivitatibus, que continuè natalem Christi sequuntur, diaconi, presbyteri ac subdiaconi vicissim insanis sua ludibria exercentes, per gesticulationem suarum debachationes obscenâs in conspectu populi, decus faciunt Clericale vilescere, quem potius illo tempore deberent prædicatione mulcere. Non tamen puto, de clericis etiam accipendam esse canonem primum Concilii Antisiodorensis, & si generaliter admundum conceptus sit: Non licet Kalendas Januarii vetula aut cervolo facere, vel

vel strenas diabolicas observare; sed in ipsa die sic omnia beneficia tribuantur, sicut & reliquis diebus. Quid sit vetula aut cervolo facere, optimè explicat Jacobus Simondus ad d. can. tom. i. Concil. Gall. pag. 613. Car. du Fresne in Glossar. voc. cervula. Uci dixi, nolim canonem istum de Clericis interpretari, ac si ipsi quoque eâ ætate Iudibria talia edidissent. Quod autem de sui seculi moribus d. l. testatus fuit Innocentius, id superiore adhuc ævo obseruatum à se scribit Carolus Molinæus ad istum textum. Ut turpiter, inquit, fieri vidi Aurelii in templo majori, deinde per vicos anno 1517. & 1518. Sed postea correctum & omissum fuit, ut vidi.

VII. Turpe admodum est, quod ex Ægidio aureæ vallis de gest. Leod. refert Anton. Dadin. Aliæ terra add. c. 12. in diebus solennibus Paschæ & Pentecostes solitam fuisse unam è meretriculis Clericorum reginam creari, quæ purpurâ amicta & coronâ redimita in sublimi solio collocata, & circa quam non sine idolatria per totum diem choreæ ductæ fuerint. Verba Ægidii sunt: Sacerdotes quippe ceteræ & Ecclesiastice persona cum universo populo in solemnitatibus pasche & pentecostes, cum sanctam devotissimam alibi diebus Ecclesiam frequentare, & DEO servire tenerentur, aliquam ex concubinis sacerdotum purpuratam ac diademate renitentem in eminentiori solio constitutam & cortinis velatam, Reginam creabant, & coram ea assistentes inchoreis, tympanis & aliis musicalibus instrumentis totâ die psallebant, & quasi idololatra effecti ipsam tanquam idolum adorare solebant. Puerilia hæc merita dicerentur spectacula, nisi à sacerdotibus, quos sapientes, & sanctos, & severos esse decebat, edita fuissent. Qui sane propter ludicram ejusmodi scenam lempiternas fœdissimæ turpitudinis notas subierunt, ut etiamnum multo cum opprobrio eorum memoria recolatur.

IX. Alia longè fuit mens & sententia Veterum, qui omnes ejusmodi ludos detestati ab Ecclesiasticis maximè personis prorsus evitari voluerunt, uti docent constitutiones & decreta supra adducta. Quibus addi potest Concilii Parisiensis VI, cap. 38. Cùm ab omnibus Christianis juxta Apostoli documentum stultiloquium & scurrilitas sit cavenda, multo magis à sacerdotibus Domini, qui alii exemplum & conditementum salutis esse debent, caveri oportet. Hac quippe à sanctis Viris penitus sunt propellenda, quibus magis convenit lugere, quam ad scurrilitates & stultiloquia & histriorum obscenæ jocationes & ceteras vanitates, que animum Christianum à rigore rectitudinis emollire solent, in cachinnos ora dissolvere.

Neg. enim decet, aut fas est, oculos Sacerdotum Domini hujusmodi spectaculæ sedari, aut mentem quibuslibet scurrilitatibus aut turpiloquiis ad inanitarapi, &c.

P

CAP.

CAP. XVII.

Apugnis & duellis Episcopi animum abhorre debere.

I.

Nunquam crederet quisquam, inter personas Ecclesiasticas talia vel agitari vel cogitari saltem posse, nisi in Decretalibus integer se praebaret titulus: *De clericis pugnantibus in duello.* Supra cap. 14 ex disciplina veteris Ecclesiae adduximus, haud excusari posse Episcopos & Clericos in expeditionib, bellicis pugnantes: & quā verò ratione putabimus excusari posse eos, qui ad monachias prompti & proclives sunt, quæ coniuni bonorum Principum suffragio civibus promiscue omnibus, etiam ipsis militibus in castris prohiberi & interdici solent? Imò verò tam alienos à sanguinis effusione esse voluerunt Clericos antiqui canones, ut nec judicio sanguinis adesse permitterent, tantum abest, ut excusarent vel ab ipsis vel ab aliis eorum instinctu illata vulnera. Regino Abbas Prumiensis lib. 2, de Eccles. discipl. cap. 55. His, à quibus Domini sacramenta tractantur, iudicium sanguinis agitare non licet. Et ideò magno opere talis excessus prohibendus est, ne indiscreta presumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria judicare presumant, aut truncationes quibuslibet personis aut per se inferant, aut inferenda pricipiant. Quod si quam horum immemor praeceptorum aut in Ecclesiastica familiis aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, & concessi ordinis honore privetur & loco, sub perpetua damnationis religatus ergastulo.

II. Invaluerat tamen aliquando prava illa & communis tamen opinio, optimum probandæ veritatis modum per duella expediti posse, eumque immediate à providentia divina regi & gubernari. Ubi enim coram iudice in probationibus defecissent partes, vel de consensu utriusque, vel iudicis autoritate duellum indicebatur, quod vel pars laudabat, vel recusabat. Si laudaretur, Wadium & arrha dabatur, forte Chirotheca quod & arramire dicebant. *Vadiatur duellum,* inquit Johannes Skenæus adleg. Scot. Regiam majest. lib. 3. c. 23. vers. 9, cùm actor sive appellans querelam suam proponit, eamq; duello per se, vel per suum championem se probaturum offert. Et Reus sive appellatus affirmat contrarium esse verum, & se vel suum championem in sui sueq; causa defensionem ad duellandum offert. Hinc inde dantur vadia: ab actore vadium disputationandi: a reo vadium defendendi quod in hoc Regno fit, cùm duellones hinc inde chirothecas offerunt. Si enim usu receptum erat, ut si vel infirmitate, vel sexu, vel alio impedimento alter litigantium certare non posset, hominem daret, qui campio dicebatur,

tur, quiq; vicarium certamen infret; adeoq; campio non dicebatur is, quo cum lis erat, sed qui decertabat. Celebris in eam rem est Lex Gundobada, eius autor fuit Gundobadus Rex Burgundionum, quæ causis finem imponi præcipiebat singulari certamine five duello, adversus quam acriter disputavit Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis *libro singulari*.

III. Modum istum lites dirimendi impie planè & tantum non blasphemè nominabant judicium Dei, quod tamen Deus nunquam præcepit, nunquam approbavit, imò damnavit prorsus, nunquam denique sanctorum & fidelium exemplis firmatum fuit. Et statuebant tamen non in crimini bus tantum obiectis modum istum probandi locum invenire & permitti debere, quod etiam hodiè admittunt nonnulli, sed etiam in causis civilibus, ita ut per duellum possit res aliqua probari legitimè empta, commodata, vel ex alio aliquo contractu acquisita. Imò verò, si de legis fangiendæ justitiæ dubium existeret aut disputatio, etiam tum per ejusmodi concertationes rem certam fieri & ab omni dubio liberari, persuasum habebant. Seculo X. exorta fuit disputatio: *utrum nepote jure representationis admitti deberent cum patruis ad successionem & hereditatem avi sui?* Quæ controversia, cum lege publica determinanda esset, discrimini gladiatorio commissa fuit. Rem his verbis describit Witichindus Corbejentis monachus annal lib 2. De legum quoq; varietate facta est contentio, facereq; qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatem legitime cum filiis sortiri, si forte patres eorum obiissent avis superstitionibus. Unde exiit edictum à Rege, ut universalis populi conventio fieret apud villam, quæ dicitur Stela, factumq; est, ut causa inter arbitros judicaretur debere examinari. Rex autem meliori consilio usus noluit viros nobiles ac senes populi in honeste tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni jussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios: & firmatum est, ut aequaliter cum patruis hereditatem dividerent pacto sempiterno. Conf. Si gebert. Gemblaci. ad ann. 942. & Chron. magn. Belg. 78.

IV. Erat vero probandi ista methodus tam vulgaris, ut nec in Ecclesiasticis quidem judiciis improbaretur, licet hoc maximè caverent Episcopi, ne autoritate suâ duella ista decernerentur. Dilècte Ivo Episcopus Carnotensis epist. 168. cum mentionem fecisset causæ in judicio Ecclesiastico inter Vicecomitem Carnotensem & Comitem Rotrocum agitatæ, hæc annexit verba: *Quæ altercatio cum aliquandiu durasset, præcipimus judicium fieri, judicatumq; est, quia hec causa sine monomachiâ terminari non poterat, & judicium sanguinis nobis agitare non licebat, ut utraq; parsirent in curiam Comitissæ, ad quam talia judicia pertinebant.* Exprèsè ait, causam istam sine monomachiâ terminari non potuisse, nec tamen illam decerni debuisse in judicio Episcopali, atque idcirco remitti oportuisse causam ad

Judicium seculare Comitissæ. Et quanquam idem Ivo epist. 247. vitio vertat Ecclesiæ Aurelianensi, quod provocationem ad monomachiam iudicio confirmaverit, & ei diem præfixerit, ipsam tamen monomachiam non improbat, sed in secularibus iudicis decernendam esse contendit. Clerici, inquit, nostri retulerunt nobis, quod quidam miles domini Radulphi quendam militem Comitis ad monomachiam provocaverit, & hanc provocationem Ecclesia vestra iudicio confirmaverit. Quod audientes valde mirati sumus, cum monomachia vix aut nunquam sine sanguinis effusione transigere valeat: iudicium vero sanguinis servanda patrum auctoritas prohibeat. — — Faciant hec cincti (h.e. Lalei, uti explicat Franciscus Juretus ad epist. 241.) judices, qui ad malorum vindictam gladium materialem portant, non qui contra nequitias spirituales gladio spiritus pugnant, &c.

V. Fuisse tamen prælatos ipsos quandoque præsentes & spectatores monomachia pro jure suo institutæ, ostendit charta de controversia & bello, quod fuit inter monasterium sancti Albini Andegavensis & Giraudum de Blancofurno: Determinato itaq; loco ubi bellum fieret, curia scilicet sancti Petri Burgulensis, convenerunt utring Raherius scil. cum suis, qui erat dominus Giraudi & Huberti, & Girardus Abbas sancti Albini cum suis. Juratis igitur, ut fieri solet, sacramentos, campiones invicem pugnare caperunt. Et cum aliquandiu pugna durasset, videntes Giraudus & Huberius, quod championus non bene se haberet, dimiserunt calumniam & terram, pro quâ bellum erat, solidam & quietam monachis clamaverunt, &c. Aderant sapè & alii, etiam ex proceribus regionis quandoque, si causa aliqua nobilior in contentionem venisset, quale exemplum ex Herveo Malleto refert Andreas Qvercetanus ad biblioth. Cluniac. pag. 161. Utique verò leges certæ præscriptæ fuerunt ejusmodi monomachiis, ita etiam ad Ecclesiæ & earum campiones extensæ illæ fuerunt, uti patet ex capitularib. lib. 4. cap. 23, ubi, quod de falsis testibus constitutum fuerat, idem illud obtervandum dicitur in causis Ecclesiasticis, quando de unâ parte seculare, de alterâ verò Ecclesiasticum negocium est.

VI. Etsi autem pugna illa non semper mortem inferret, quippe quæ cum fustibus & scutis expediti solebat, secundum leges Longobardorum lib. 2. cap. 29. & campiones secundum constitutionem Friderici, quæ refertur lib. 2. constit. Neapolitan. tit. 37. n. 1. clavas habere oportebat æquales, non spinolas, nec cum aguzonibus, nec habentes cornua, ipsi etiam campiones interdum legiores se præstarent in defensione suâ, aut intempestivè viatos se proclamarent, quod quidem impune non erat, d. tit. 37. n. 2. vix tamen aut nunquam sine sanguinis effusione absolvebatur, uti notat Ivo Carnotensis d. epist. 247. Et quia adeò iusti dari non possunt ad mensuram, rectius omnino facient personæ Ecclesiasticæ, si omnes illos

CON-

congregatus evitent, nec quolibet modo cooperentur, in quibus aliqua sanguinis effusio, aut tumor saltem aliquis in metu est, tantum abest, ut detinere talia certamina sine labe atque dedecore, aut salvâ etiam conscientiâ liceat.

VII. Clericos verò etiam ipsos aliquando duello concertasse dubitare nos non sinit titulus in Decretalibus, cuius supra feci mentionem. Multis verbis laudat Petrus Abbas Cluniacensis lib. 1. de mirac. c. 8. monachum sui monasterii Gerardum. Sed protetò non animadvertisit, multum de laudibus decadere, dum refert Petrus, promptum se eum exhibuisse, vel duello causam suam probaturum. Et quæ enim laus tribui poterit illi, qui personam, quam sustinet, exuit, & pro militia cœlesti, cui se mancipavit, secularē & sanguinolentam elegit sibi nec decentem, nec permisam. Monachus plangentis habet officium, ut mundum lugeat & Domini pavidus præstoletur adventum c. monachus 16. q. 1. Nec ergo mundi hujus gloriam & falsam virtutis umbram lectari debet. Sic & Clerici à vulgari vitâ seclusi à mundi voluptatibus se abstineant, à secularibus negotiis alieni sint, & doctrinæ lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, exercitio jugiter incumbant. c. his rigitur dist. 23. Tales qui sunt, quomodo illis monomachiæ convenire poterunt? quæ temporalibus negotiis tuendis instituuntur, & à Christiana fide aversissimæ sunt. Optimè huc applicari poterit objurgatio & reprehensio Cœlestini III. Pontificis Rom. quæ in Episcopum Bellucentensem supra cap. 14. memoratum cum indignatione invehitur apud Baronium ad ann. 1196. n. 3. quod expeditioni bellicæ adfuerit ipse. Sinistre, inquit, licet advenerit, nec mirum. Cunctorum enim meretur odium, qui omnium se in communem approbat inimicum. Præsentem namq. pacificum exuens, militem bellicosum induisti, clypeum pro insula, gladium pro stola, loriam pro alba, galeam promitrâ, lanceam pro baculo pastorali ordinem rerum & seriem pervertens temerarius bajulasti. Sed enim eo seculo non in bellis tantum expeditionibus, sed etiam in monomachiis promptas fuisse Episcoporum manus colligere licet ex Alexandri III. epist. 19. quam scripsit ad Upliensem Archiepiscopum & universos suffraganeos ejus, tam in Sueciâ, quam in Gothiâ constitutos.

CAP. XVIII.

Asaltationibus &c choreis procul esse debere Episcopum.

I.

Nulla quidem inter leges & canones Episcopis præscriptos invenitur prohibitio, verbis difteris concepta, quæ illis interdictus sit saltationum

p. 3

num

num usus ; idque factum ideo crediderim , quod nemo tūm ex isto ordine extiterit, qui coēcendus propter talem levitatem esset. Atque hoc confirmatur ex eo, quod de presbyteris & clericis inferioribus in Concilio Agathensi can. 39. statutum legitur : *P resbyteri, diacones, subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, et iam alienarum nuptiarum evitent convivia, nec his cætibus admisceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obsceni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur, ne auditus & obitus sacris mysteriis deputati turpium spectaculorum atq. verborum contagione polluantur.* Cui accedit, quod supra cap. 16. ex Concilio Laodicen. 54. adduximus , oportuisse sacerdotes & clericos omnes in nuptiis aut conviviis, antequam thymelici ingrederentur, surgere & discedere.

II. Adeundem modum in capitulis Walterii Episcopi Aurelianensis decretum legitur c. 17. Ut quando ad conventum , quod ipsi consortia appellant, veniunt, (sc. presbyteri & reliqui ordinis Clerici) religiosè equitent, juniores prioribus fratribus debitum honorem impendant ; si quando autem in cuiuslibet anniversario ad prandium presbyteri invitantur, cum omni pudicitia & sobrietate à procaci loquacitate & rusticis cantilenis caveant, nec saltatrices in modum filia Herodiadis coram se turpes facere ludos permittant, sed in unum convenientes, sicut reliquos cibi & potius ministros, ita Lectorem sancte adificationis constituant, quatenus sacerdotalem reverentiam laudabiliter maturitate exhibeant, & in eorum sanctis moribus honorificetur DEUS per Jesum Christum. De presbyteris talia cum statuta fuerint, numquid putabimus diversum obtinuisse inter Episcopos ? quos utique exemplaria esse oportet veræ sanctitatis & honestatis , quibusque adeò evitare incumbit ea omnia , quibus aliqua saltem species levitatis & vanitatis mundanæ adhæret.

III. Imò verò Christianis omnibus turpes visæ fuerunt olim choreæ & saltationes. Idque dilci potest ex can. 53. Concilii Laodiceni : *Quod non oportet Christianos ad nuptias venientes ballare vel saltare, sed castè canare vel prandere, sicut decet Christianos.* Ballare in græco est βαλλέσσειν, quod Zonaras interpretatur, concrepantibus cymbalis saltationem ad illorum sonum accommodare. Fuit enim etiam olim in usu κρόταλον sive crepitaculum, quod manu retentum & digitis agitatum edebat strepitum. *Croton*, inquit Joannes Saresberiensis in *policrat. lib. 8.c. 12.* græcè *pulsus* dicitur. & inde cymbala sic dicuntur, vel *musisum* notat instrumentum, quod in sono vocem ciconiae imitatur, nam ipsa apud Ægyptios crotalus appellatus. Et sic etiam Suidas interpretatur τὸ βαλλίζειν, quod significet cymbala pulsare & ad eorum sonum saltare. Christianos ergò neque βαλλίζειν decebat, neque δρχεῖν, sed & indecorum videbatur ejusmodi saltationibus adesse saltem

tem, & suâ præsentia eam adprobare. In passione S. Mariæ martyris referuntur, quod, cum à Tertulli Uxore, cui serviebat, increpita esset, quod filii sui natalem multis solemnitatibus & comedationibus atque tripudiis celebratum jejunio quasi contaminasset, stante pede responderet: *Pius DEUS me retur, quam filius tuus.* Delectet illum turpis cantus, & saltatus obscenus & quicquid ad delicias parvorum diligens singit cura nutricum. DEI vero non vanus & inanis est cultus, sed plenus felicitatis & gratia.

IV. Quæ apud veteres tum Ecclesiæ Doctores, tum gentiles de saltationibus inveniuntur sententiae, nolo hic congerere. Id certum est, plerisque ita viderunt esse, parum convenire eas viris gravibus, & in regimine quodam constitutis. Et celebris adeo hinc est sententia apud Ciceronem orat. pro L. Muræna: *Nemo ferè saltat sobrius, nisi forte insanit.* Finge, inquit Franciscus Petrarcha de remed. utr. fort. dial. 24. te choream ducere vel cernerere, neq; tibicinem audire, atq; ita stultas mulierculas & Viros mulierculis molliores in silentio circumferri, redire, inepire, quid quoam unquam absurdius, aut delirantius vidisti? Nunc motus inconditos, hyasonus, aut tibia, hoc est, amentia una aliam regit. Nec tam ibi delectatio præsens est, quam sperata delectationis auspicium, Veneris præludium illud quidem sono stupidas ac misellas circumducere, atq; urgere, & stringere ac specie urbanitatis atterere, liberaibi manus, liberi oculi, libera volant voces, pedum strepitus, & multorum cantus dissoni, & tubarum clangor, concursatio, & pulvis, & quæ sapè ludis additur hostis pudicitia, & amica scelerum nox ipsa, &c.

V. Plurimorum vox est, non improbari posse choreas, si inter personas honestas honestè agitantur. Sed enim cum negari nequeat, inter ludicas actiones referri eas debere, dubitari haud frustra poterit, utrum institui possit ab illis, quorum vita tota ad gravitatem composita esse debet, qualis est Clericorum omnium, & præcipue Episcoporum. Quantamcunque enim subesse fingas honestatem, habet tamen ista pedum & totius corporis ad cytharam motio in Viro præstantis autoritatis nescio quid contemptibile & ab Ecclesiastica severitate alienum, adeo ut honestatis etiam colorem tum amittat actio, quæ moribus non æquè conformis est. Sic vivendum est in vita, inquit Cicero lib. 1. offic. ne forte quid discrepet: vel multo etiam magis, quo major & melior actionum, quam sonorum concentus est. Itaq; ut infidibus musicorum aures vel minima sentiunt: sic nos, si acres ac diligentes judices esse volumus, animadversoresq; vitiorum, magna intelligentia sapè ex parvis, ex oculorum obtutis, superciliorum aut remissione, aut contractione, ex mæstria, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex submissione, ex ceteris similibus facile judicabimus, quid aptè eorum fiat, quid ab officio, natura q; discrepet, &c.

Cap.

CAP. XIX.

Venationis studium Episcopis non convenire.

I.

Qui veterum Ecclesiaz Doctorum de venationibus judicia, qualia inveniuntur apud Gratianum c. qui venatoribus dist. 86. relegerit, facilem inde sibi formabit conclusionem , Episcopum dedecere istud vitæ genus,& alienum prorsus esse ab officio, quod sustinet. Nec vana aut conjecturalis tantum sive divinatoria ista est collectio , quandoquidem expressè omnis venatio non Episcopis tantum, sed aliis etiam Clericis quamplurimis Conciliorum decretis interdicta fuit. In Concilio Epaonensi can. 4. hoc extat statutum: *Episcopis presbyteris atq; diaconibus canes ad venandum & accipitres habere non liceat.* Quod si quis talium personarum in hac fuerit voluntate detectus, si Episcopus est, tribus mensibus se à communione suspendat : duobus presbyter abstineatur : uno diaconus ab omnī officio & communione cessabit. Totidem id verbis jam ante decretum fuerat in Concilio Agathenli can. 55. nisi, quod arbitrantur eruditii, intertum id fuerit ex canonibus Concilii Epaonensis. Similia habentur in aliorum conciliorum canonibus , quos quasi in compendium rededit Concilium in Regno Francorum ad ripam Danubii anno DCCXL celebratum can. 4. Venationes & silvaticas vagationes cum canibus , & ut accipitres & faltones habeant, prohibemus. Itemque Constitutio Ludovici Imp. incapitular. addit 3. c. 43. sacerdotibus non expedit secularibus & turpibus quibuslibet interesse locis? venationes quoq; ferarum vel avium minimè scilicet.

II. Inde etiam est, quod Episcopi canes & accipitres penes se in habitationibus suis habere prohibentur. Concilium Matilconense II. c. 13. Volumus quod Episcopalis domus, que ad hoc DEO favente instituta est, ut sine personarum acceptione omnes in hospitalitate recipiant, canes non habeat, ne furie hi, qui in ea misericarum suarum levamen habere considunt, dum infestorum canum moribus laniantur, detrimentum versâ vice suorum sustineant corporum. Custodienda igitur est Episcopalis habitatio hymnis, non latratis, operibus bonis, non moribus venenosis. Ubi igitur DEI est assiduitas cantilene, monstrum est, & dedecoris nota, canes ibi vel accipitres habitare. In genere agit de canibus , sive morbu , sive latratu tantum hospites excipientibus, sed ita ut prohibitionem in specie extendat ad canes venaticos , uti ex conjunctione accipitrum colligere licet. Nullo ergo modo instrumenta ejusmodi, quæ venationi inserviunt, habere licet Episcopo.

III. Apud Lyonem Carnotensem part. 5. decret. c. 353. extat fragmentum

tum ex epistola Nicolai Pontificis ad Alvinum Januensem, hanc paulo plenius, quam apud Gratianum dist. 34. c. 1. Verba, quae apud Gratianum de sunt, exponunt conditionem & statum sacerdotum, qui venationibus deti sunt, aeglecto interim, quod sustinent, officio. Et sunt ista : *O miseram vitam hominum & maximo sacerdotum! qui dum lucrantis fidelibus debent infestare, venandi feris incumbunt, & quos capere oportet homines, capiunt aves & bestias, qui dum mortibus student animantium, vitam suarum amittunt animarum. O infelissimam vitam super omnem vitam! Nam in quo magis quisque carnalis appetit, quam in tali vita. Venatorum enim vita nisi preter carnes capit. In qua dum quisque permanit, nunquam probatus est. Et porro : Vae eis modi presulibus, qui dum debent Petrum, Andream, Jacobum & Iohannem, quibus a Domino dictum est : Venite post me faciam vos piscatores hominum, ad imitationem suam eligere, quorum & discipuli sunt, magis Nemroth & Ismaele, atque Esau reprobos imitantur, qui hujusmodi ad inventionibus incubuisse referuntur.*

IV. Canonistæ, ne Clericis nimium adimant, neve illi omni voluptate, quæ ex venatione resultat, excidant, prohibitiones istas conciliorum accipiunt de venatione periculosâ & clamorosâ, uti vocant, eaque quæ cum armis fieri solet; atque hinc statuant, sanitatis vel recreationis causâ Clericos venationibus uti non prohiberi, dummodo id faciant cum silentio & modestiâ. Utque eo magis excusatos reddant Clericos venatores & in actu venationis deprehensos, præsupponunt, in dubio venationem ab illis præsumi factam causâ recreationis. Augustin. Barbos. ad c. 1. q. de cler. venat. Aliam insuper addit distinctionem antiquus Glosator Goffredus de Trano, ad dict. tit. inter Episcopos & reliquos Clericos. Episcopis semper illicitam dicit esse venationem, aliis Clericis licitam esse ait causâ necessitatis, utilitatis & recreationis, cum retibus, & laqueis & canibus, dummodo cum silentio & modestiâ fiat.

V. Verum enim verò interpretatio ista Canonistarum non videtur satis conveniens vel canonum textui & literæ, vel præcis Ecclesiæ institutis. Canones quod attinet, generaliter illi omnem venationem interdiciunt. Et ne de hac generalitate quis dubitet, legi poterit interpretatio Nicolai Papæ, quæ habetur apud Gratianum d. l. Verba digna sunt, quæ hic adscribantur. *Quoprundam relatione fidelium nostris auribus intimatum est, quod Lanfredus Episcopus, qui & juvenis dicitur, venationi sit dedicatus, quod vitium plurimo estiam de clericali catalogo genere duntaxat Germanos & Gallos irreverentes implicat. Verum iste, si ita est, ut audivimus, meritò juvenis dicitur, quia juvenilibus desideriis occupatus nullâ gravitate constringitur: nam ut beatus dicit Hieronymus, venatorem nunquam legimus sanctum;* — — Oportet ergo fraternitatem tuam synodale cum Episcopis

scopis & suffraganeis tuis convocare concilium : & hunc salutaribus eloquio episcopum convenire, atq; illi pastorali auctoritate precipere, quatenus ab omnium bestiarum vel volucrum venatione penitus alienus existat, &c. Generalia sunt verba, & talia, quæ nullam admittunt exceptionem aut limitationem : ab omnium bestiarum vel volucrum venatione penitus alienus existat. In verbis sequentibus comminatur Pontifex, excommunicari eum debere pro venationis delectione, si parere contempererit. Nec distinctionem facit inter Episcopos & alios clericos, dum ait, *vitium istud plurimos etiam de clericali catalogo implicasse.* In utrisque scil. vitium esse censetur. Et propterea distinctionem istam primam rejicit Joannes Bulæus ad Petri Blelensis epist. 56.

VI. Instituta Ecclesiæ primitivæ hæc erant, ut Clerici morum gravitate & vita genere omnibus aliis in Republ. civibus antecellerent, utve, quantum fieri posset, inania hominum studia, & nimiam familiaritatem vitarent, & ab omni negocio abstinerent, per quod corrumpi sanctitas Christiana posset. *Honoratur ministerium,* inquit Bernhardus epist. 28. morum gravitate, consiliorum maturitate, & actuum honestate. Nec enim doctrina tantum, sed & vita ministrorum Ecclesiæ in conspectu omnium instar civitatis supra montem sita posita est, adeoque cavendum ipsis assidue, ne vita humana tenebris involvantur & abnormi actionum suarum norma scandalum Ecclesiæ praebant. Atque hinc dubitare licet, utrum per venationis exercitium servari possit ea morum gravitas, quæ in ministerio Ecclesiæ exigitur. Nempe, inquit Johannes Saresberiens. in *policrat.* lib. 1. cap. 4. qui his studiis aut desidiis insistant, semper sunt & abjecti potiore humanitatis parte, ratione morum prodigiis conformantur. A levitate siquidem ad lasciviam, à lasciviam ad voluptatem, & cùm induruerint ad flagitia & quævis illicita pertrahuntur. — Venatores omnes adhuc institutionem redolent centaurorum. Raro invenitur quisquam eorum modestus aut gravis, raro continens, & ut credo, sobrius nunquam, &c. Et porro: Ab aetate primâ, cui rationis legem natura prescriperat, inspice patriarchas, data lege transi ad duces, procede ad judices, ad reges progredere, percurre seriem prophetarum, fidelis populi officia & studia perscrutare, quos in serie veteris instrumenti legis exercuisse venaticam? Nempe Idumæos, & Ismaëlitæ, & genites, quæ Dominum nesciebant, &c. Gmina sunt his, quæ leguntur apud Henricum Cornelium Agrippam de *vanit. scient.* c. 77. Franciscum Petrarcham de *remed.* utr. fort. dial. 32. & alios.

VII. Goffredus de Tiano in summ. tit. de *clericu venatore*, dum in rationes inquirit, quare Clericus prohibetur venari, & non plicari, ultimo loco hanc reddit, quia venator discurrit per devia & invia, sicut diabolus, cùm ducit animam captivam. *Numquid ergo putabimus, decere istud vitæ*

vitæ genus hominem Ecclesiastico ministerio & vitæ sedatiōri destinatum? Imò verò consentientes in hoc habemus Canonistas, quod talis venatio, quæ eis clamorosa & tū ultuosa dicitur, rectè Clericis interdicta sit. Et sunt tamen alia: insuper rationes, quæ etiam quietam & recreativam venationem, ut vocant, eis & multo magis Episcopis interdictam arguere videntur, certè applicari possunt non ineptè. In genere illas collegit Franciscus de Amaya *ad l. un. C. de venat. ferar. n. 67. seq.* quia 1. venatoria exercitia athletica sunt & militaria, quæ abesse à vita cœlesti debent, quia 2. nec valdè probata ea inter Laicos, quia 3. per ea reddituntur homines crudeles, temerarii, languinolenti, & à misericordia alieni, quia 4. ali. à venatoribus solent canes, accipitres, & similia, ut & sic bona Ecclesiastica, alendis Clericis & pauperibus destinata in alium usum verrerentur, quia 5. negotiorum cura negligi & tempus inaniter consumi solet. Quæ omnia distinctionem supra traditam evertunt.

IIX. Nolo hic sollicitè inquirere, quo primū tempore studere venationibus cœperint Episcopi. Origo ejus rei petenda videtur exinde, quando in terra districtus Episcopis dati & concessi fuerunt. Tum enim sine dubio etiam venationum jura ad illos transdata fuerunt, quibus ut uterentur commode, & voluptate & utilitate qualunque attracti, ipsi ea exercere quandoque haud fuerunt veriti. Studium istud seculo sexto ineunte jam invaluisse inter Episcopos, colligere licet ex Concilii Epaonensis *decreto supra adducto*. Quanquam verò non unis vicibus deinceps id prohibitum esset, recruduit tamen istud identidem, & suos omni ætate invenit amatores, præsertim eos, qui seculati dignitati, quâ præditierant, Ecclesiasticam junxerunt. Nec tamen pro licito habitum id illico fuit, sed imò animadversione dignum, si quis ejus reus factus fuisset. De Bonifacio Moguntinensi deinceps Archiepiscopo refert Cardinalis Baronius ad ann. DCCXLV. n. 4. objecisse eum Gervilioni antecessori suo, confixisse le oculis suis illum cum canibus & avibus ludentem, quod Episcopo fas non esset. Propterea laudatur Geraldus Archiepiscopus Bacreensis à Bernaldo Archidiacono, quod circa curam accipitrum, aut circa venationem canum, sive ludos alearum nunquam operam dederit. Vixit iste Geraldus sub Urbano II. & Paschalii II. exeunte seculo undecimo, & ineunte duodecimo.

IX. Et probabile est circa ista tempora, præcipue verò seculo undecimo, quo maximam in licentiam disciplina degeneravit Ecclesiastica, etiam hoc venationis studium, perruptis quasi carceribus ab Ecclesiasticis personis, excutum fuisse. Nec enim crediderunt deinceps Episcopi, tale à se in quotidianis venationibus negocium suscipi, propter quod erubescere deberent. Imò vero eò tandem processit audacia, ut propter istas privilegia

legia à majestate civili expetere haud vererentur. Inauditum antea seculis omnibus fuisse scribit Georgius Fabricius *Orig. Sax. lib. 2. p. 215.* Episcopos privilegia de venationibus ferarum ab Imperatoribus petere. Tale, inquit, *Erpo, Antistes Verdensis senectute jam delirus, sed in sua juventute præfuleximus, ab Otthono III. flagitavit & obtinuit.* Sic ergò tandem in genere licitorum ponи ceperit, quod antiquitus illicitum & statui clericorum prorsus adversum creditum fuit.

CAP. XX.

Officium Episcopi non admittere, ut in otium ille se referat, & à gerendis negotiis abstineat.

I. Tiosos diis hominibusque infensos esse, Hesiodi est sententia, quandoquidem anima humana in id condita est, ut perpetuò aliquid agat, etiam tūm, cum otiosa esse videtur, & sensus, per quos operetur, altissimo somno lepulti jacent. Et propterea in homine vigilante, & naturæ bonis fruente otium censetur esse exitiale, illis verò, qui sacris destinati sunt, pestilentissimum. Declamant passim præter gentilium scriptores in otiosos, Ecclesiæ Doctores. Chrysostomus *hom. 7. in 2. Cor.* Qui talis est, instar erroris cuiuspiam quovis malo transfigitur; atq. hujusmodi animam, non secus ac puerum licenter vagantem, quisquis vult in servitutem trahit. Quoniam enim ipsa hac in more positum habet, ut aliquid operetur, si quidem ipius in rebus honestis actionem comprimas, quandoquidem nihil agere non potest, alia pariat necesse est. Quemadmodum enim terra, cùm nec seritur, nec plantatur, herbam duntaxat profert: eodem quoq. modo anima, cùm necessariarum rerum nihil habet, quod agat, atq. animo aliquid agere cupiat, prævis se rebus tradit. Et quemadmodum oculis, quando cernere non cessat, prava cernat necesse est, cùm bonis objectis caret: sic etiam animus, cùm se à necessariis abduxerit, jam circa inutilia versatur.

II. Idem Chrysostomus *homil. 35. in act.* Quid fœdius homine, qui non habet, quod operetur, quid laboriosius, quid miserius? Nonne hoc plurimi vinclis deterius, soto die in foro quotidie oscitare, & spectare homines prætereuntes? Animæ enim natura est, ut semper moveatur, & quiescere nequeat. Deus hoc animal condidit operationibus deditum, & ex naturæ ejus est, operari, & præter naturam ejus, esse otiosum. Ne ab agrotantibus causam probemus, sed à re ipsa experimentum capiamus, nihil vacatione molestius, nihil otio. Ideo necessitatem operandi indidit nobis DEUS. Omnia enim ab otio damnum accipiunt. Etenim oculus & os, & venter, & unumquodq. membrorum, nisi quod

quod suum est, operetur, in extremum incidit morbum. Hoc autem maxime in anima est.

III. Hæc Chrysostomus in quoscumque otio deditos, quæ multo magis ad lacerdotes applicanda sunt, ac proinde, qui cum illis agunt Ecclesiæ Doctores, summoperè eos admonere solent, ut ab otio sibi caveant. Certè non minus & fortè multo magis Episcopis dicta consebuntur, quæ monachis præscripsit Hieronymus ad Rusticum, apud Gratianum c. nunquam, de consecrat. dist. 5. Nunquam de manu tua vel oculis tuis liber psalterii discedat, — nec vacet mens tua variis perturbationibus, quæ si pectori insedent, dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis, ut semper diabolus te inveniat occupatum. Si apostoli habentes potestatem de evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, & alii tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in usus tuos cessura non preparas? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lensus plete viminis, carriatur bunus, areola a quo limite dividantur, in quibus cum olerum jactata fuerint semina, vel planta e per ordinem posita, aqua ducantur irrigue. — Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absq; opere & labore suscipiant, non tam propter vitius necessitatem, quam propter anima salutem, ne vagetur perniciose cogitationibus mens, & ad instar fornicantis Hierusalem omni transiunti divarices pedes suas &c. Etsi verò protestetur ibi Hieronymus, se non de clericis in praesenti disputare, sed monachum instituere, generaliter tamen, quod inde elicitur axioma de fugiendo otio, ad Episcopos potiori jure applicatur, quod negocio sit eorum officium, cum monachorum vita tot actantibus occupationibus non sit implicata.

IV. Negotia autem, quæ incumbunt Episcopis, & quibus illi suum transfigere debeant otium, ne compressis, ut ajunt, manibus sedeant, optimè recensentur in Concilio Meldensi c. 28. Ipsi Episcopi concessum sibi otium non insuas voluptates, sed in divinum & officiosum convertant negotium: quatenus studentes prædicationi & correctioni, atq; confirmationi, quod hactenus per parochias fuit neglegatum, solerter & devotissimè de cetero sit correctum & emendatum. Et non propter suam inquietudinem Episcopi ad remotiora loca secedentes, & suum ministerium negligentes proprias deserant civitates; sed ut parochias suas cum officiis efficacia circumeant, aut cum religione in suis civitatibus canonice cum suis filiis degant, & hospitalitate ornati, quæ jam penè propter diversas rapacitatem annullata est, non solum in oculis Domini propter obedientiam mandati divini reddantur conspicui, verum & bonum testimonium secundum sanctum adquirant Apostolum. Presbyteros etiam sibi commissos & doctrinâ, & castitate, & sobrietate, atq; hospitalitate secundum eorum ministerium ornari compellant.

q. 3

V. Qua-

V. Quapropter vitio vertebant Episcopis, qui gratiâ laboris fugienda muneri suo renunciare hand vererentur. Inter epistolas Leonis Episcopi Romani nonagesima secunda scripta est ad Rusticum Narbonensem, quâ multis verbis diludet, ne munus suscepsum deserat, & amore otii ab eo defistat. Miror, inquit, dilectionem tuam instantum scandalorum quâcumq[ue] occasione nascientium adversitate turbari, ut vacationem ab Episcopatus laboribus optare te dicas, & malle in silentio atq[ue] otio vitam degere, quâm in his, quæ tibi commissa sunt, permanere. Dicente verò Domino: beatus qui perseveraverit usq[ue] ad finem, unde erit beata perseverantia, nisi de virtute patientiae? — Permanendum ergo est in opere credito, & in labore suscepto, constanter tenenda est justitia & benignè praestanda clementia. Sic & Bernhardus rescribens ad eum, qui Eccleiam suam, cui præerat, relinquere ideò volebat, ut Hierosolymam pergeret. Quaratione, inquit, curam tibi creditam animarum exponere debeas, omnino non video. Quid enim? blanditur deposita sarcina libertas? sed charitas non querit, quæ sua sunt: Fortè quietis provocat, & orsiugustus suavior, sed evanescatur dispendio pacis: Alligatus es Uxori, noli querere solutionem. epist. 82. Et Fulbertus Episcopus Carnotensis ad Ebalum Archiepiscopū Remensem epist. 53. Præterea Beroldus Episcopo referente, audi vi sic te mærore afflictū, ut curam gregis Domini relinquere velis. Quod ego acriter & amicè redarguo, testans te, si hoc egeris, non fuisse pastorem.

VI. Nec facile cuiquam permittebatur, ut muneri suo renunciare & ad pristinum otium redire licitum esset. Præmitti solebat aliqualis causa cognitio, etiam in majore synodo nonnunquam, ne quid temere fieret, aut scandalum inde aliquid metuendum esset, aut etiam Episcopus ipse renunciaturus in altiore gradu constitutus esset. Eustathius Pamphilus Metropolitanus curas molestiasque, quas Episcopale munus continebat, non ferebat libello, quo abdicationis causæ comprehendebantur, oblato, ab Episcopatu ultrò se abdicaverat. Abdicatione admisā, provinciæ Episcopi Theodororum in ejus locum substituerant. Redelata ad Synodum Ephelinam, quæ tūm congregata erat, parum benignè id acceptum fuisse, ostendunt verba epistolæ Synodicæ scriptæ ad Synodum Pamphilia: Oportebat enim semel concreditam facerdotalem curam cum tanto spirituali labore geri, ut laborem & sudores sponteferat. In gratiam tamen Episcoporum Pamphilie, qui jam successorem fecerant Theodorum, excusatum utcunque redidunt Eustathium, dum illico subjungunt: Quoniam autem pusillanimem se declaravit, hoc ex inconsiderantia rei magis, quam ignorâ veltorpore passus ordinavit necessariò vestra pietas pientissimum & DEO amantissimum fratrem nostrum & Coepiscopum Theodorum, qui Ecclesias curet, &c.

VIII. Supra ex Concilii Meldensis canone 28. adduximus, prohibitum illuc fuisse, Episcopos non debere propter inquietudinem (uti habet editio Sirmundi

mondi, sive potius, propter suam quietem, uti legitur apud Reginonem lib. 1. de Eccles. disciplin. c. 5.) ad remota loca secedere, & ministerium negligentes, proprias deserere civitates. Solebant enim illi quandoque, ut otio indulgere possent, & fastidia, quæ ex officio quotidie resultabant, declinarent, ad remota loca dicecseos loca, & parochiam aliquam rusticam se conferre, ibique retrahere se ab negotiis quotidiis emergentibus, & transdere in otium delicatum admodum, & ad voluptatem corporis maximè accommodatum. Idque jam ante seculo exente IV. prohibitum erat in Concilio Carthaginensi V. c. 5. Placuit, ut nemini sit facultas, reliet à principali cathedrâ ad aliquam Ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre, vel in re propriâ diutius, quam oportet, constitutum curam, vel frequentationem propria Cathedra negligere. Nec dubito plurimos alios in eandem rem in diversis conciliis editos fuisse canones, quorum contemptu commotus Carolus M. specialem istam edidit constitutionem, quæ habetur lib. 1. capitular. cap. 41. Ut non liceat Episcopo principalem cathedram sua parochia negligere, & aliquam Ecclesiam in sua diœcesi magis frequentare.

VIII. Ut verò fieri plerumque solet, ut in fraudem legis novæ excogitentur rerum formæ, quibus obligatio legis eludi queat: ita etiam circa hunc articulum contigit, cujusvis ut infingeretur, in subsidium vocare oportuit corruptelam aliam. Hac enim fini, ut ne divellerentur ab otio Episcopi, quod maximè amplexabant, valde aucta & ampliata fuit potestas Chor episcoporum. Idque haud obscurè innuit dicti concilii Meldensis canon quadragesimus quartus in verbis: *Nam si Episcopus civitatis propter desidiam, aut secularem pervagationem, vel propter infirmitatem modum suum Chor episcopis transcendere consenserit, &c.* Nec minus perspicue eorum originem exponit Hincmarus Remensis epist. 45. n. 16. Sicut & quidam Episcopi etiam à longe præendentibus temporibus scandalum prosuæ quiete & voluptatibus in Ecclesiam intromiserunt, ordinantes Chor episcopos, & eis, quæsummis Pontificibus convenient, agere permittentes. Sed enim de Chor episcoporum origine, statu & conditione sufficienter dixi libr. I.

CAP. XXI.

*Episcopum propter curam animarum, quam gerit, tum
& alia, qua quotidiè occurrent negotia, perpetuò presentem
esse debere sua Ecclesia.*

I.

Diximus in capite antecedente, tam negotiosum esse officium Episcoporum, ut non admittat otium, nec excusari proinde posse, qui delitiis

is indulgentes, officium id negligunt, & in alia omnia divertunt. Attende, inquit Apostolus Acto. XX, 28. vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI. Quomodo autem attendere, quomodo regere poterit, qui non est prælens? Attendere non convenit in absente, sed in præsentem: non potest attendere sibi, nisi sit apud te & tecum habitat: sic neque gregi, nisi apud eum fuerit. Pari modo nec absens ποιησεν poterit, h. e. pascere, regere & dirigere gregem. Hoc enim est officium Episcopi & in hoc consistit conditio ejus ποιησαντική, ut fide credenda proponat & explicet, à viâ perditionis corruptorumque morum monitis, consiliis, & interminationibus, censuris quoque revocet, & in viam salutis reducat.

II. Eleganter istud officium describit ipse Deus Ezech. XXXIV, vers. 2. ex neglectibus & vitiosis actibus officio isti planè contrariis. Vnde, inquit, pastoribus Israel, qui pascebant semetipso; nonne greges à pastoribus pascentur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod agrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quaestis, sed cum austerritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersa sunt oves mea, eò quod non esset pastor, & facti sunt in devorationem omnium bestiarum agri & dispersa sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelso, & super omnem faciem terra dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea &c Describuntur hic illi, qui neglecto officio pastorali non attenderunt gregi, nec prælentes fuerunt ei, sed functionem suam deseruerunt proflus, de seipsis tantum folliciti, & sibi benè cupientes.

III. Ista natura & conditio officii, quod quis gerit, manifestè ostendit, non posse id expediri, nisi à præsente, cui ejusdem præstanti cura incumbit. Quis, nisi mentis inops, in dubium vocabit, utrum janitor, cui cura fores claudendi recludendique commissa est, ad januam adsistere debet? cui navigi gubernatio incumbit, an ad clavum sedere oportet? ait Dominicus Soto de resid. cap. 5. Utique enim qui alicui officio præfectus est, ipse per se explere illud debet, præsertim si industria personæ causam ei officio, ut præficeretur, dederit. Industriam autem personæ in electione Episcopi attendendam esse, supra ostendimus. Nec ergo audiendi sunt illi, qui putant satis consultum esse Ecclesiæ, & officio Episcopi abundè satisfieri, si istud expediatur per vicarium. His enim optimè respondet Maldonatus in summ. qv. 10. art. 3, 5, 6. Nomen pastoris significat actionem pastoralem, sicut nomen medici. Itaq; sicut nemo potest per alium curare: ita nemo potest per aliam suas oves pascare. Nec quicquam valet responso communis, satis esse

esse per vicarium laborare, quia per eandem regulam satis esset manducare per alium, qui a sic scriptum: *Qui non laborat, non manducet.*

IV. Non malè igitur in genere Clerici colonis adscriptitiis comparentur in Concilio Hispalensi II. can. 3. Scribitur in lege mundiali de colonis agrorum, ut ubi esse quisq; jam cœpit, ibi perduret. Non aliter & de clericis, qui in agro Ecclesiæ operantur, canonum decreto præcipitur, ut ibi permaneant, ubi esse cœperunt. Sic enim docent Jcti, colonos ita glebis inhærere debere, ut nec puncto quidem temporis debeant, amoveri, ex l. 15. C. de agricol. lib. XI. Et propterea pars fundi esse censentur, ita ut nec pacto valeant inde amoveri. Joh. Euchar. Erhard. de oper. rusticor. conclus. 5. circa fin. In hunc ergo modum etiam Clerici Ecclesiæ suæ ita se addictos perswasum habeant, ut nullâ ratione ab illâ divelli debeant. Et hæc namque fuit causa, cur tām severè in antiquis canonibus prohibutum fuerit, ut à civitate in civitatem nec Episcopus, nec presbyter, nec diaconus transferatur, ut legitur in can. 15. Concilii Nicæni. Et huc etiam pertinet similitudo, quam ex conjugii carnalis indisolubili nexus petierunt veteres Ecclesiæ patres, dum Episcopum Ecclesiæ suæ perinde ut maritum Uxori conjunctum esse statuunt.

V. Justè igitur, reprehendit Pigmenium sive Pimenium Episcopum Amalphitanum Gregorius Magnus lib. 5. epist. 23. quod tām infrequens esset Ecclesiæ suæ, & vagari huc illuc haud desineret, quem propterea coercendum esse rescribit Anthemio subdiaco apud Gratianum c. pervenit, 7. q. 1. Pervenit ad nos Pigmenium Amalphitanæ civitatis Episcopum in Ecclesiâ residere non esse contentum, sed foris per diversa loca vagari. Idcirco bāc tibi autoritate præcipimus, quatenus hoc de cetero facere non præsumat, sed in Ecclesiâ suâ sacerdotali more resideat, quem si forte non emendari post tuam interminationem cognoveris, in monasterium eum deputare, & nobis modis omnibus curabis indicare: ut quid facere debeas, nostra iterum præceptione cognoscas. Quos enim coerceri debere putavit mediæ ævi antiquitas, eos in monasteria detrudi curabant. Et videtur iste coercendi modus admodum accommodatus Episcopis huc illuc vagantibus, quod ex monasteriis non esset libera exeundi potestas, & sic satis concussa atq; fracta esset eorum licentia.

VI. Cūm verò nihilominus non cessarent Episcopi ab suis Ecclesiis divertere, suoque se officio defunctos putarent, si in diœcesi suâ permanerent, et si Ecclesiæ Cathedrali non adessent semper, nec in eâ perpetuò residerent, noluérunt id permittere Ecclesiasticæ disciplinæ Rectores, sed editis in eam rem decretis graviter id detestati, fuerunt. Adduximus in cap. antecedente ex Concilii Carthaginensi V. canonem 5. quo prohibutum fuit, ne quis relictâ principali cathedrâ ad Ecclesiam aliam in suâ diœcesi

cesi constitutam se conferat.. Ei conformis est canon duodecimus Concilii Aquisgranensis II. quem repetuit Karolus Magnus capitular. lib. 5. c. 177. Comperimus etiam, quosdam socios ordinis nostri , non causâ necessitatis aut utilitatis, sed potius avaritiae & proprie delectationis sepissime propriâ civitatis sue sede relata, cleroq, neglesto, remotiora loca frequentare: de qua re & destitutio divini cultus, & predicatio in plebis, & cura subjectorum postponitur, & hospitalitas negligitur. Quod ne ulterius aquoquam, sine inevitabili necessitate & certâ utilitate fiat, pari consensu inhibuimus. Sunt enim dioecesis quorundam Episcoporum tam amplæ, ut, quid in Cathedrali contingat Ecclesiâ, in extremis oris ægrè & serò nimis compertum habere liceat, cum tamen talia sœpè incident. negotia, quæ omnia facilius, quam moram pati queant.

VII.. Sed enim, quia, ut audivimus, necessitas & utilitas Ecclesiæ excipitur, propter quam Episcopo suscipiendum aliquod iter fuerit, ipsa etiam privata quandoque ejus negotia alibi subsistere illisque superesse jubent, varie disceptatum fuit, quosque Episcopo absenti ab Ecclesiâ suâ esse liceat: Ultra tres hebdomadas Episcopum abesse suâ ab Ecclesiâ prohibuit Concilium Eliberitanum can. 21. ultra quindecim dies, Leo Magnus epist. 84. c. 10. Tres, tamen istæ hebdomades, & ni fallor quindecim etiam isti dies non debuerunt: solennium festorum tempora occupare atque impedire. Id enim constitutum legitur in Concilio Agathensi can. 64. Si quis in Clero constitutus ab Ecclesiâ suâ diebus solennibus defuerit, id est, nativitate Domini, Epiphania, Pascha vel Pentecoste, dum potius secularibus lucris studet, quam servitio DEI paret, convenit, ut triennio à communione suspendatur. Similiter diaconus vel presbyter, si tres hebdomadas ab Ecclesiâ suâ defuerint, huic damnationi succumbant:

VIII.. Haud paulo liberalior fuit Justinianus Imperator, qui integrum annum concessit Episcopo, ut absenti esse licet. Et hoc ipsum tamen propter misericordiam, ut ait, hoc est, ex benignitate. Nec etiam ex causis promisuè omnibus id permisum esse voluit, & ne quidem ex illis, quæ Ecclesiæ ipsas attingere dicuntur, quod eas per Clericos sibi subjectos, aut apocrisiarios aut Oeconomos expedire oporteat. Ex quo sequitur, raro admodum contingere posse, ut per integrum anni spaciū Episcopi absentia continuari queat. Verba Constitutionis novell. 6. c. 2. ita habet: Et illud etiam definimus, ut nemo DEO amabilium Episcoporum foris a suâ Ecclesiâ plus quam per totum annum dresse audeat, nisi hoc per Imperiale fiat iussionem: (tunc enim solim erit inculpabile) sacratissimi patriarchis uniuscujusque diocesos compellentibus DEO amabiles Episcopos suis inhærente sanctissimis Ecclesiis: & non longo itinere separari, neq; in peregrinis demorari velle, neque sanctissimas Ecclesiæ negligere, neq; annum exceedere, quem & ipsum propter misericordiam consti-

constituimus. Si vero ultra annum erraverit, & dereliquerit, & non ad Episcopatum remeaverit proprium, neq; imperialis aliqua eum, sicut prediximus, detineat iusso, tunc, si quidem sit metropolita, circa Ecclesiasticam dispositionem segregatum regionis illius patriarcha revocet quidem cum legitimis inclamationibus, servans ubiq; sacrarum regularum observationem. Si vero maneat per omnia inobediens, expellatur à sacro Episcoporum choro, & alium introducat hujusmodi & reverentia & verecundia & honestate dignum. Si vero non metropolita, sed aliorum Episcoporum aliquis sit, qui erraverit: hec omnia à metropolita fiant &c.

IX. Ut autem exculata magis sit, nec ratione destituta videatur ista Episcopi absentia, idem Justinianus novellus 123. c. 9. non aliter eam permitti voluit, nisi ex præscitu & consensu superioris, adeoque præviâ causâ cognitione aliquali. Interdicimus, inquit, DEO amabilibus Episcopis proprias relinquere Ecclesias, & ad alias regiones venire. Si vero necessitas faciendi hoc contigerit, non aliter nisi cum literis beatissimorum Patriarchæ aut Metropolite aut per Imperiale videlicet iussionem hoc faciant: ita tamen, ut nec illis Episcopis, qui sub beatissimo Archiepiscopo Constantinopoleos & Patriarchâ fuerint, liceat citra permissionem ejus aut nostræ iussionis, ad regiam civitatem venire. Si vero etiam secundum hunc modum Episcopus eiuscunq; loci profectus fuerit, non amplius uno anno suam relinquit Ecclesiam. Episcopos autem in regiam civitatem, sicut dictum est, venientes, cuiuslibet fuerint diœcesis, pre omnibus ire ad beatissimum Archiepiscopum Constantinopoleos & ad Patriarcham, & ita per eum ad nostram introire tranquillitatem &c.

X. Ex his intelligi potest, quid sibi velit fragmentum epistolæ Paulini Episcopi Aquilejenis ad Karolum Regem, dum reprehendit Rectores Ecclesiarum, quod contra divinam voluntatem & sacram institutionem atque Apostolicam & Canonicam autoritatem non tribus saltem hebdomadibus, sed multo tempore ab Ecclesiâ sibi commissâ dimissis propriis sedibus & plebis, postposito divino confilio & autoritate, postpositâ etiam prædicatione, doctrina, correctione, spiritus paracleti assignatione, & sacrâ sancti chrismatis consecratione, omniq; sacrâ institutione, in retractabiliter abesse non erubescunt. --- Hinc est, quod nec præcipuis festivitatibus & solennitatibus anni, nec saltem diebus quadragesime observationis, qui saluti & pœnitentiae consecrati sunt, & magnâ devotione transigi debent, in quibus specialiter circa animarum procurationem propensiùs, & attentiùs invigilare debemus, in propriis non meremur residere parochiis ac civitatibus, pro quo & destitutio divini cultus & predicatio in plebis & cura subjectorum negligitur, praesertim cum nec sacerdotali ministerio hujusmodi congruant discursus, nec canonice sit autoritatis &c.

XI. Memorabile sollicitudinis Episcopalis exemplum præbuit Aldricus Cenomanensis, qui, cum ab Ecclesiâ suâ sèpiùs absens esse cogeretur propter avocationes Ludovici Imperatoris, supplici voce petuit, ut sibi licet

ceret domi in Ecclesiâ suâ subsistere, & rebus divinis atque Episcopali officio vacare, alia autem negotia, tûm & itinera ab Imperatore commissa per Oeconomum expedire. Idque haud difficulter concessisse Imperatorem ostendit diploma super eâ re confectum, cuius inter alia hæc sunt verba: *Aldricus venerabilis Cenomanice U[bi]s Episcopus innotuit celsitudini nostræ, quod multa ex his, quæ in suâ parochiâ agere debebat, & ad suum ministerium pertinebant, propterea quod jam assidue in nostro servitio, vel etiam nobiscum detentus tamdiu commorabatur, neglecta erant tâm in prædicatione seu confirmatione atque doctrinâ, quâm & in restauratione Ecclesiarum, vel pravorum hominum correctione, sive in aliis atque in aliis Ecclesiæ sibi commissis utilitatibus, & Cleri vel populi necessitatibus.* — — *Lacrymabili quoque vultu coram nobis & fidelibus nostris asserebat, quod si aliter ad suum peragendum ministerium otium à nobis impetrare non posset, magis vellet honores sibi collatos dimittere, quâm clerum & populum sibi commissum negligere, & propterea, quod absit, in perditionem incidere.* Quapropter humiliter deprecatus est nostram clementiam, ut liceret ei iuxta canonicam auctoritatem habere Oeconomum, qui pro illo exteriore curas gereret, *& nostra servitia atque itinera, prout melius posset, suâ vice faceret, & preditus Episcopus ad ea, quæ DEI sunt intenderet.* & ad suum ministerium perficiendum certaret. — — *Concedimus memorato Pontifici per h[oc]s auctoritatis nostræ literas, quas ei fieri jussimus, concessumque in futuro esse volumus, ut prefatus Episcopus quietè, dum voluerit, in suâ residence parochiâ, & pro nobis & pro commissione nobis à DEO populo Dominum exoret, suos verò homines cum suo Oeconomo, vel quemcunq[ue] elegerit, ubicunq[ue] nostra fuerit jussio, vel necessitas inguerit, dirigit.*

XII. Quod si omnino peregrè abesse Episcopum oporteat quandoque, laudabilis admodum erit illa absentia, quæ prælentem sibi animo semper habet gregem suum, ita ut corpore quidem absens sit Episcopus, spiritu vero & curâ atque sollicitudine semper populo sibi subiecto præsto sit. Talis fuit Gregorius Nazianenus, dum ait: *Regressus sum, à vobis non quidem abstractus, sed retractus, affectu spiritus nos agente ad vos. Ego cùm præfensi essem, minus ex affectu sensi laboris, cùm verò jesus sum abstrahi ac separari, sensi tunc amorem veluti dulcem quandam tyrannum &c.* Itemque Ambrosius: *Eram sollicitus in dies singulos, quemadmodum festinanter quotidie ad Ecclesias veniretis: & quanquam essem de vestra devotione securus, trepidabam tamen, quia hoc ipsum, quod in vobis neveram, non videbam. Eram de vobis anxius, mœstus & trepidus, ne quis me absente, per negligentiam caderet, ne quis diaboli infidus laberetur. Ne vos mea contristet absentia corporalis, nam spiritu & cordis affectu puto vos non dubitare, nullo modo me à vobis posse discedere.*

39199

XIII. Ap-

XIII. Applicari h̄ic optimè poterit, quod de præside provinciæ constitutum scribit Marciānus JCtus in l. 15. ff. de offic. præsid. eum ne quidem voti solvendi gratiâ abnoctare posse extra fines suæ provinciæ. Ratio est, ne interea, dum religione vacat quasi securus, à seditionis turbæ excitentur, & periculo exponatur provincia. Quod factum aliquando refert Antonius Mornacius add. l. Sic & ex jure navalí Rhodiorum constat, ad nautam vel exercitorem pertinere periculum navis, quæ perierit illo extra navim dormiente, uti id legitur ad calcem lib. 2. *Juris Græco-Romani* num. 26. ut adeò non liceat nauclero extra navim dormire. An verò putabimus, minori cum curâ præesse debere Episcopum provinciæ vel diœcesi suæ, aut navi Ecclesiæ, cuius regimen ei commissum est? Imò verò, quanto gravius periculum est unius in quâvis Ecclesiâ particulari animæ, periculo corporis aut salutis publicæ in imperio civili, tanto major exigitur circumspectio & sollicitudo, tantoq; minus excusari poterit absentia Episcopi, aut iter præter necessitatem suscepimus. Unius certè Ecclesiæ cura gravius olim existimabatur onus, quam ut quisquam vel prudentissimus ei ferendo par esse queat.

C A P. XXII.

*De Episcopatibus, qui in Orbe Terrarum
passim existunt.*

I.

A B eo tempore, quo Ecclesia fundari cœpit, extiterunt illico, qui Episcoporum officio fungerentur, et si eo nomine non venirent semper, neque characterem istum, qui hodie illis quasi proprius est, sustinerent. Ignatius, Polycarpus, & qui istis coœvi fuérunt, vel planè non, vel admodum raro, quanquam essent tales, Episcopos se dixerunt. Postquam verò incrementa accepit Ecclesia subinde majora, frequentiore etiam usu invaluit istud nomen, ut insigniorum Ecclesiarum Rectores péné omnes Episcopi dicerentur. Factum inde, ut ætate Constantini, quâ tranquilliore statu fruebatur Ecclesia, ad Concilium Nicænum convenirent Episcopi ultra bis mille, si Scriptoribus Arabicis fidem habere liceat, quos adducunt Johannes Seldenus ad Eutychii origines Alexandrin. pag. 83. Joh. Henr. Hottinger. in his tor. Orient. lib. 2. c. 2. Guil. Bevereg. ad Concil. Nicæn. Quanquam & vulgaris atque receptissimus istorum Episcoporum trecentorum octodecim numerus fatis ostendat Ecclesiarum insignem copiam atque ubertatem. Hinc adeò cum singuli suas haberent diœceses, facile colligi potest, quantis spaciis circumscripsum tūm temporis fuerit Orbis Christianus.

x 3

II. Nec

Alatinus.	Alatri.
Verulanus.	Veruli.
Soranus.	Sora.
Fundanus.	Fondi.
Cajetanus.	Gaieta.
Terracinensis.	Terracina.
Subiacensis.	Subiaco.
est Abbas Ordinis S. Benedicti Ordinarius & exemptus.	

IN TUSCIA.

Hortanus.	Orti.	Uuni
Civitatis Castellanae.	Civita Castellana.	Uti.
Nepesinus.	Nepi.	Uuniti
Surrinus.	Sutri.	Uuniti
Viterbiensis.	Viterbo.	Uuniti
Toscanensis.	Toscanella.	Usequem
Volaterranus.	Volterra.	
Castrensis.	Castro.	
Civitatis Plebis.	Civitta de la Piebe.	
Montis Falisci.	Monte Fiascone.	Uun.
Cornetanus.	Corneto.	Uun.
Lucanus.	Luca.	
Lunen Sarzanen.	Luna & Sarzana.	
Politianensis.	Montepulciano.	
Balneoregiensis.	Bagnarea.	
Urbeveranus.	Orvieto.	
Perusinus.	Perugia.	
Civitatis Castelli.	Città di Castello.	

IN UMBRIA INFERIORI.

Spoletanus.	Spoletto.
Asfiliensis.	Asfi.
Fulginatenensis.	Foligno.
Nucerinus.	Nocera.
Reatinus.	Rieti.
Tuderrinus.	Todi.
Amerinus.	Amelia.
Narniensis.	Narni.
Interamnenensis.	Termi.

IN UMBRIA SUPERIORI.

Camarinenensis.	Camerino.
Æsinus.	Jeh.
Fanensis.	Fano.

IN PICENO, sive MARCHÆ ANCONITANA.

Auximanus.	Osimo.
Asculanus.	Ascoli.
Anconitanus.	Ancona.
Lauretanus.	Loreto.
Recanatenis.	Recanate.

Lauretanam Ecclesiam in Episcopapalem erexit Sixtus V. confit. 24. incip.
Pro excellenti.

Sunt & alii Episcopatus exempti in aliis Provinciis, qui sub Archiepiscopis, ad quorum Concilia Provincialia ire tenentur, collocabuntur:

*Archiepiscopatus cum suis
Suffraganeis.*

**IN TUSCIA, CORSICA,
ET LIGURIA.**

Archiepiscopatus Pisanus.

PISA.

Episcopatus Suffraganei.

Adiacensis.	Aiazzo.
Aleriensis.	Aleria.
Sagonensis.	Sagona.

Archiepiscopatus Florentini.

FLORENZA.

Episcopatus Suffraganei.

Fesulanus.	Fiesole.
Pistoriensis.	Pistoia.
Cortonensis.	Cortona.
Aretusinus.	Arezzo.
Collensis.	Colle.
Burgi S. Sepulchri.	Burgo S. Sepolcro.
S. Miniatis.	S. Miniato.

Archidi-

Archiepiscopatus Senen.

S I E N A.

De Episcopali in Archiepiscopalem cre-
ctus fuit à Pio II. sua Confis. 3. incip.
Triumphans, est in Bullar. novo tom. i.
pag. 215.

Episcopatus Suffraganei.

Suanensis.	Suana.
Clusinus.	Chiuse.
Grossetanus.	Grosseto.
Massanensis.	Massa.
Ilcincini.	Montalcino.
Pientinus.	Pienza.

Archiepiscopatus Genuensis.

G E N O V A.

Episcopatus Suffraganei.

Bobentis.	Bobo.
Albinganensis.	Albinga.
Naulensis.	Noli.
Nebiensis.	Nebbia.
Marianensis.	Mauriano.
Acciensis.	Acci.

Archiepiscopatus Taurinensis.

T O R I N O.

